C A P U T XIII.

a Idem *Cantuar. Archiepiſc.*

SUper eo, quod quæſiviſti, utrum teſtes ſint reprobandi in cauſa criminali, vel civili, quibus ab adverſa parte crimina opponuntur? Reſpondemus, quod ſi etiam ante non ſunt convicti, vel confeſſi de criminibus illis, dummodo inde convincatur, in teſtimonium non debent admitti.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam habetur poſt Conc. Later. *p.* 8. *c.* 44. in prima autem collectione, *ſub hoc tit. c.* 12. legitur, *Tarracon. Archiepiſc.* adduntur que hæc verba, *pars capitis Significaſti*. Apud Concilium vero, *pars capitis Significaſti*. Unde credo legendum eſſe, *Cantuarienſi Archiepiſcopo*, & in præſenti capite referri fragmentum textus *in cap. ſignificaverunt* 35. *de appellation. in prima collectan.* qui etiam habetur poſt Concil. Later. *p.* 10. *c.* 32. Commentarium hujus textus dabimus *in c. teſtimonium, infra hoc tit.*

C A P U T XIV.

a Idem *Salernitano Archiepiſcopo.*

DE cetero laicos in *b* accuſationem, vel teſtimonium contra clericum in criminali cauſa non eſse aliquatenus admittendos, cenſura ſacrorum canonum manifeſtius edocet. Niſi forte *c* ſuam, vel ſuorum injuriam proſequantur, nec tunc etiam ad teſtimonium, ſed ad accuſationem poſſunt admitti.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam habetur in 1. collectione, *ſub hoc tit. c.* 15. & *in titul. de accuſat. c.* 6. & aliæ partes hujus Decretalis referuntur a Raymundo *in c. at ſi clerici, de judic. cap.* 3. *de ſponſa duorum*. Integra autem reſtituenda eſt ex parte 6. poſt Concil. Lateran. *c.* 8. De Salernitana Eccleſia aliqua notavi *in c.* 1. *de offic. judic.*

b *In accuſationem.*) Hanc partem ut a rubro alienam remittimus potius, quam omittimus: eam examinabimus *in d. c. cum P. de accuſat.*

2 c *Suam.*) Suam quis, an alienam injuriam ulciſcatur, multum intereſſe varia juris exempla teſtantur; tutor enim, qui pupilli nomine, non vero ex propria perſona teſtamentum defuncti falſum, aut inofficioſum dicit, legato ſibi relicto non privatur, *l. tutorem* 22. *ff. de his quæ ut indign.* Mulier, aut miles ad accuſandum non admittuntur, niſi ſuam, aut ſuorum injuriam ulciſcantur, *l.* 4. & 5. *C. de his, qui accuſare.* Adulterum accuſare, præcipue proximis, neceſſariiſque perſonis conceditur, *l. quamvis* 30. *C. ad l. Jul. de adult.* infames, ſervi, liberti, & hæretici, niſi ex privata cauſa ipſorum interſit, Epiſcopos, vel clericos accuſare nequeunt. Concil. Carthag. *can.* 130. relatum a Gratiano *in c. omnibus* 4. 5. *q.* 6. & lege Julia publicorum judiciorum cautum erat, ne quis eodem tempore de duobus conquereretur, niſi ſuarum injuriarum cauſa, *l. hos accuſare* 12. §. *lege, ff. de accuſat.* quem textum erudite exponit Radulph. Fornerius *lib.* 4. *rer. quotid. c.* 15. unde recte in præſenti circa accuſandum, & teſtificandum diſtinguit Alexander accuſationem propriæ injuriæ ab aliena.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio probatur. TAlis ex hoc textu deducitur diſputanda aſſertio: *Laicus in criminali cauſa non teſtificatur contra clericum.* Probant eam textus *in c. teſtimonium* 11. *q.* 1. *cap. ipſi Apoſtoli, c. teſtes, cap. beati, §. fin. cum ſequenti*, 2. *q.* 7. Concil. Tribur. relatum *in c.* 1. *hoc titul. in* 1. *collect.* ibi: *Teſtimonium laici adverſus clericum nemo ſuſcipiat*, Hadrianus Papa *c.* 68. ad Epiſcopos Mediom. *l.* 12. *tit.* 51. *l.* 2. *legum Longob.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *hic*, Morla *in empor. tit.* 10. *in princip. n.* 77. Cujac. & Miſyng. *hic*, idem Miſyng. *in c.* 2. *hoc tit.* Menchaca *de ſucceſſ. creat. l.* 3. §. 22. *n.* 73. Martha *de juriſd. p.* 4. *centur.* 2. *caſu* 117. *n.* 2. Jul. Clarus § *fin. q.* 24. *n.* 10. Ant. Matthæus *de crim. tit. de probat c.* 2. *n.* 6. P. Gregorius *l.* 1. *partit. tit.* 11. *c.* 5.

4 Impugnatur hæc aſſertio. Sed adverſus hanc aſſertionem ita inſurgo. Ubi mulieres in teſtimonium admittuntur, multo magis viri etiam laici admitti debent, juxta textum *in c. forus, verſ. naturam, de V. S.* Conſtat autem, in cauſa criminali mulierem adverſus clericum in teſtem admitti, *c. quoniam* 3. junctis ibi traditis, *hoc tit.* igitur laici adverſus clericum teſtimonium dicere poſſunt. Augetur primo hæc difficultas ex eo, nam teſtimonium populi dicitur laicorum depoſitio, *c.* 1. *de prob.* quia populi appellatione clerici non continentur, ut probavi *in c. Eccleſia, de conſtit.* Sed adverſus clericum in cauſa criminali admittitur teſtimonium populi, *c. cum dilecti, de purgat. canon.* Igitur & laici adverſus clericos teſtimonium dicere poſſunt. Accedit, nam nemo dubitat, cauſam conſpirationis, & conjurationis in proprium Prælatum criminalem eſſe: ſed in cauſa conjurationis contra clericum laici admittuntur, *c. ult. de teſtib. cogend.* Igitur quia laici etiam in cauſa criminali poſſunt teſtimonium dicere. Id expreſſius probatur *ex c. tam litteris* 33. *hoc tit.* in illis verbis, *ſive laicis*. Ex quibus conſtat, tam laicos, quam clericos poſſe teſtimonium dicere contra clericum in cauſa criminali.

5 Traditur decidendi ratio. Qua difficultate ita fulcita minime obſtante, vera eſt Alexandri III. deciſio, videlicet, non eſſe adhibendam plenam fidem laicis deponentibus adverſus clericos. Cujus deciſionis ratio provenit, tum ex reverentia, quam laici debent clericis, qui Dei legatione funguntur in terris, *c. quis dubitet, c. duo ſunt,* 96. *diſt. c. accuſatio* 11. *in fine,* 2. *q.* 7. tum quia clericis laici infeſti ſunt, cum non ſint ejuſdem converſationis, *c. laicos* 2. *q.* 7. *c. Beatus* 2. *q.* 2. *c. clericos, de immunit. Eccleſ. lib.* 6. inter eos enim, qui diſſimili ſunt fortuna, plerumque datur indignatio; unde fit, ut idiota ſtudioſum litteratum oderit, ruſticus aulicum, juvenis ſenem, ut probat Tiraquel. *in l.* 5. *connub. n.* 25. Unde cum hanc infeſtationem antiquitas docuerit, *d. c. clericos*: ideo laici removentur a teſtimonio perhibendo in cauſa criminali contra clericos, cum inimici rejiciantur a teſtimonio, ut infra dicemus, & late illuſtrat Philippus Camerarius *lib.* 2. *oper. ſucceſ. c.* 41. Sed quoniam ita favendum eſt clericis, ne per falſa teſtimonia damnentur, ut tamen eis delinquendi impunitas ex probationum inopia non concedatur; ideo in aliquibus caſibus laici admittuntur ad teſtificandum contra clericos. Primus eſt in delictis exceptis, prout ſunt hæreſis, læſa Majeſtas humana, ſimonia, & ſimilia. Gloſſa *in præſenti, verbo Suam*, quam ſequuntur Butrius *n.* 4. Abbas *n.* 6. Felinus *n.* 9. Campegius *de teſtibus, n.* 48. Secundus eſt in defectum teſtium eccleſiaſticorum, cum crimen niſi per laicos probari non poteſt, *c. cum I. & A. de re judic. capite per tuas, el* 2. *c. licet, de ſimon. c. cum oporteat, de accuſat.* Abbas *in præſenti, n.* 3. Crotus *de teſtib. n.* 61. Farinac. *eodem tract. q.* 61. *n.* 108. Rodriguez *t.* 2. *qq. reg. q.* 11. *art.* 5. Tertius eſt, quando delictum eſt notorium, nam tunc admittuntur etiam in teſtes laici, etiam contra clericos, *cap. cum dilecti, de purgat. can.* alios caſus recenſet Barboſa *in præſenti*, Salcedo *in praxi, c.* 179.

6 Diſſolvitur difficultas. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra propoſita, qua aliqui moti exiſtimarunt, Alexandrum in præſenti noviter ſtatuiſſe, ne laici contra clericos in cauſa criminali poſſent dicere teſtimonium, qui expendunt pro ſua ſententia verbum *de cetero*, quod ſignificare videtur, antea fuiſſe permiſſum. Sed hæc interpretatio facile convincitur *ex d. c. ipſi Apoſtoli, c. ſacerdotes*, ubi jam pluribus retro annis ſtatutum reperitur, ne laici adverſus clericos teſtimonium dicere poſſint. Hac igitur ſolutione admiſſa, ex ſupra traditis facile exponuntur textus pro dubitandi ratione adducti: nam textus *in d. c. quoniam* 3. *hoc tit.* procedit caſu, quo propter defectum teſtium delictum niſi per mulieres, cum quibus commiſſum fuit, probari non poteſt, ut in ejus notis diximus. Textus vero *in d. c. cum dilectus, de purgat. can.* procedit in delicto notorio, ut erat peccatum, de quo in eo textu agebatur; quo caſu ad probandam notorietatem laici admittuntur; docent Abbas *in præſenti, n.* 3. Felinus *n.* 6. Denique *in d. c. fin. de teſt. cog.* tantum diſceptatum fuit, utrum laici, eo quod juraverunt non detegere crimen conſpirationis a clericis commiſſum, compellendi eſſent juxta rubricam, ſub qua textus ille jacet, ad teſtificandum, non obſtante juramento? & Pontifex decrevit, eos abſolvendos eſſe a juramento, compellendoſque teſtimonium dicere. Circa eorum tamen habilitatem, & fidem nihil in eo textu ſtatuitur, cum ſuper his Pontifex non conſuleretur; certe tamen conſultus reſponderet, fidem illis eſſe adhibendam, tum propter teſtium defectum, tum ob ſceleris gravitatem. Nec tandem obſtat textus *in d. c. tam litteris*, in cujus ſpecie primo, & principaliter cauſa civilis, electionis videlicet, diſceptabatur, licet incidenter cauſa irregularitatis tractaretur. Unde ut in cauſa civili, laici contra clericos teſtimonium dicere poterant.

7 Exponitur textus in C. præſumunt 22. 2. q. 7. Sed ſupra traditis obſtare videtur textus *in c. præſumunt* 22. 2. *q.* 7. ubi D. Auguſtinus cum affirmaſſet ſolis criminoſis denegatum fuiſſe clericos accuſare, expendit auctoritatem D. Joannis *cap.* 8. in illis verbis: *Si male loquutus ſum, teſtimonium perhibe de malo.* Innuens tantum criminoſis prohibitum eſſe teſtimonium dicere contra clericum. Ergo laici fideles, non criminoſi, teſtimonium contra clericos dicere valent. Pro cujus textus expoſitione dicendum eſt, Magnum Auguſtinum in eo textu non agere de clericis teſtificantibus contra clericos, ſed eos accuſantibus, & increpantibus. Unde cum ſanctæ Scripturæ auctoritatem adducit, ait: *Cum de reprehendendo Veritas ipſa conſtituat*, &c. Unde Divus Auguſtinus accipiendus eſt de laicis accuſantibus clericos, non vero contra eos teſtificantibus.

C A-

C A P U T XV.

a Idem *Eidem, in eadem.*

IN cauſis *b* Eccleſiaſticis, *c* vel civilibus ultra tertiam productionem non debent teſtes produci, niſi adhibita quadam *d* ſolemnitate, quæ in legibus invenitur expreſſa: & ſuper dictis teſtium, cum fuerunt publicata, poteſt publice diſputari.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam legitur in prima collectione *ſub hoc tit. c.* 15. & poſt Concil. Later. *p.* 8. *cap.* 9. in prima autem collectione additur, *& in eadem*; quaſi demonſtretur, hanc partem epiſtolæ eſſe ejuſdem Alexand. III. & eidem Cantuarienſi Archiepiſcopo, & in eadem cauſa: unde repetenda ſunt pro hujus inſcriptionis expoſitione, quæ in textu antecedenti notavi.

b *Eccleſiaſticis.*) Quæ dicantur cauſæ Eccleſiaſticæ, jam expoſui *in c.* 2. *de judic.*

c *Civilibus.*) Quænam cauſæ civiles ſint, jam expoſui *in c. tua, de procuratorib.*

2 d *Solemnitate.*) Ideſt juramento præſtito a parte, teſtimonia producta a ſe non antea didicita fuiſſe, ſive ad notitiam ſuam non perveniſſe, ſeque bona fide abſque dolo malo, fraude, vel machinatione, vel qua arte productionem novam poſtulare; ſed ideo ea uti, quod illos teſtes ſe habere antea ignoraverat, *novella* 90. *Juſtin. c.* 3. *authenth. qui ſemel, C. de prob.* a qua deſumptus eſt præſens text.

e *Diſputari.*) Ideſt refelli poſt publicationem, oppoſitis exceptionibus, quas vulgo dicimus *tachas*, de quibus agemus *in c. præſentium* 31. *de teſtib.* diſputare enim accipitur pro refellere, diſpungere, ſeu diſcutere, ut in dicta novella *de teſtib.* notavit Cujac. *in præſenti*.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio traditur, & probatur. EX hac decretali ſequens deducitur diſputanda aſſertio. „ In cauſis Eccleſiaſticis, & civilibus poſſunt fieri tres „ productiones teſtium, quarta autem non admittitur, niſi „ cum ſolemnitate legali. “ Probant textus *in c. de teſtibus* 29. *c. ſignificaverunt* 36. *verſ. Mandamus, c. penult. hoc tit. de teſt. novel.* 90. *de teſtib. c.* 4. ex qua deſumpta eſt authentica *Qui ſemel, C. de probat.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barb. Gudelinus *de jure noviſſimo lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 21. Frid. *in proceſſu judic. pag.* 323. Sichardus, & Richierius *in d. authent. qui ſemel*, Farinac. *de teſtibus q.* 66. Rither. *in dict. novella* 90. Oſualdus *ad Donell. lib.* 25. *comment. c.* 12. Donellus *in d. authent. qui ſemel*, Cujacius *in d. novella* 90. Morla *in empor. tit.* 11. *in princ. n.* 33. Miſyngerus *in præſenti*, & *in d. c. penult.*

4 Impugnatur hæc aſſertio. Sed hæc aſſertio difficilis valde redditur ſequentibus juris conſiderationibus. Prima naſcitur ex eo, nam dilatio data ad productionem teſtium, cenſetur conceſſa in utilitatem litigantium, *l. in oratione* 7. ibi: *Utilitatis litigantis gratia, ff. de feriis*; non vero ad commodum, & emolumentum judicis, cujus officium pendente tali dilatione conquieſcit, *l. ſive, C. de dilat.* igitur ſtante, & durante tempore dilationis, etiam poſt primam productionem, poteſt adhuc actor novos teſtes producere. Secunda ex eo provenit, nam teſtes, & inſtrumenta quoad probationem æquiparantur, juxta legem *in exercendis, C. de fide inſtrum.* & tamen conſtat, inſtrumenta in judicio quocumque tempore edi, & proponi poſſe, *c. cum dilecti* 9. *de fide inſtrum.* tradiderunt Gloſſa *in c. ſeries, hoc tit.* Maſcard. *de probat. concluſ.* 926. Igitur & teſtes quocumque tempore, etiam poſt tertiam productionem produci poſſunt. Tertia naſcitur ex eo, quia denegata quarta productione, non poſſunt reprobari teſtes examinati intra tertiam, contra textus *in l. ſi quis teſtibus, C. de teſtib. c. præſentium* 31. *hoc tit.* Igitur quarta productio abſque ulla ſolemnitate legali eſt concedenda. Quarta tandem difficultas naſcitur *ex l. officium* 9. *ff. de R. V. l. exceptione* 19. *C. de probat.* ubi poſt impletam, & perfectam probationem actoris nova probatio rei admittitur. Igitur quia ultra tertiam productionem alia nova dari poteſt.

5 Traditur ratio decidendi. Quibus difficultatibus minime obſtantibus, defendenda eſt præſens aſſertio: pro cujus expoſitione ſciendum eſt, tam textum in præſenti, quam *in d. c. penult.* deductos eſſe ex novella 90. Juſtiniani, *c.* 4. ubi ita ſubdiſtinctione cavetur; „ Vel qui „ teſtes ſemel, bis, aut tertio produxit, renuntiavit ulterio„ ri productioni, vel non renuntiavit. “ Priori caſu, hoc eſt, ſi renuntiavit, & concluſit, nullo modo ad aliam productionem admittitur: poſteriore caſu, ſi quis non renuntiaverit, ſubdiſtinguitur; aut enim jam didicit, & comperta habet teſtimonia, ſeu depoſitiones priorum teſtium, quia publicata ſunt, vel aliter in notitiam ejus pervenerunt; & tunc non admittitur nova productio, etiam accedente reſcripto, vel juſſu Principis: aut nondum cognovit priorum teſtium depoſitiones, nec ex publicatione facta a judice, nec aliunde: & hoc caſu admittitur etiam ad quartam productionem, ſi juraverit tunc teſtimonia ſe non didiciſſe, & bona fide, & ſine fraude petere quartam productionem; quia teſtes producendi ſibi antea ignoti erant: quod juramentum præſcriptum fuit a Juſtiniano, cum antea Principis reſcriptum deſideraretur. Hujus autem Juſtinianeæ conſtitutionis repetitæ in præſenti ratio ex eo provenit: nam poſt tertiam productionem, cognitis teſtium depoſitionibus, datur occaſio ſubornationis; periculum enim eſt, ne quis teſtes novos, vel etiam priores, ſed reproductos inſtruat, ut quod prius non depoſuerunt, ſuppleant in gratiam ipſius producentis. Accedit ratio publicæ utilitatis, ut videlicet effrenata multitudo teſtium vitetur, nec ſub probationis prætextu lites diutius protrahantur, *cap. ultra, hoc titul. cap. finem, de dolo, & contum.* & ne per tot productiones concluſio generetur, & veritas non pateat, *cap. ſignificaverunt, hoc tit.* & quia ut dicemus infra, *in c. licet*, numerus trium teſtium ad quamcumque judicialem probationem ſufficit: ideoque tres productiones præfiniuntur, ut ſi forſan unus teſtis in qualibet productione interrogetur, legitimus teſtium numerus reperiatur; ratio autem, cur quarta productio concedatur, juramento præſtito, ex eo provenit, quia juriſjurandi religio omnem ſiniſtram ſuſpicionem abolet, non autem ſufficit juramentum, quod in principio litis aperte præſtatur; ſed opus eſt hoc ſpeciali juramento, quia magis timentur quæ ad ſpeciem diriguntur, quam quæ ad genus, *l. Item* 15. §. *hoc edictum, ff. de injuriis, l. in toto, ff. de R. J.* Procedunt hæc omnia in cauſis civilibus, non vero in criminalibus, in quibus ad docendam innocentiam, poſt atteſtationem, publicationem, vel aliter depoſitiones compertas, licet alios teſtes producere, *l.* 1. §. *ſi quis, ff. de quæſtionibus*. Nec textus hic procedit in inquiſitione, quam judex facit: quia in ea poteſt judex ultra quartam productionem, quandocumque voluerit, teſtes producere, ut docet Baldus *in d. authent. qui ſemel, art.* 1. *ver. Tertia*. Ratio eſt, quia in judice ſubornatio teſtium timeri non poteſt, & ipſe propter negotia, quibus implicatur, non poteſt ſimul, & ſemel teſtes vocare, & interrogare, unde quocumque tempore poterit teſtes examinare, præcipue quia licet in qualibet cauſa detur concluſio reſpectu partium, non tamen quoad judicem lis concluditur, quominus poſſit inquirere veritatem ad inſtruendum animum, ſententiamque proferendam, *c. cum Joannes* 10. *verſ. non obſtante, de fide inſtrum.* Hodie tamen apud nos ceſſat hæc productionum prohibitio, cum ſub una dilatione omnes productiones dentur, *l.* 15. *tit.* 8. *lib.* 2. *fori judic.* relinquiturque judicis arbitrio, quæ dilatio concedenda ſit in qualibet cauſa, dummodo ultra octoginta dies, ſi cauſa citra montes tractanda ſit; ſi vero ultra montes, 120. non excurrat, *l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 4. *recopil.* ubi notarunt Regnicolæ. Utrum vero hodie prorogatio intra terminum petenda ſit, antequam elabatur primus terminus, quærunt noſtri Auctores, ſed fruſtra; licet enim per leges regias terminus inutiliter poſt terminum petatur; tamen in his actibus judicialibus ſtylus cujuslibet Tribunalis ſequendus eſt, Tuſc. *t.* 3. *concl.* 692. Marſilius *ſingul.* 108 Lother. *lib.* 1. *de re benef. in app. n.* 63.

6 Diſſolvitur difficultas. Nec obſtat prima difficultas ſupra adducta, pro cujus ſolutione examinandum venit, unde æſtimandus ſit numerus productionum? an ex pluribus vicibus, an ex dilationibus, an denique ex diebus ſingulis, in quibus teſtes producuntur? & quid per productionem in præſenti intelligatur: in quo dubio non conſentiunt Interpretes. Aliqui exiſtimant, in hoc textu productionem idem eſſe ac dilationem, quaſi ſit ſenſus hujus textus, quod finita prima dilatione, ex juſta cauſa judex dabit ſecundam, & iterum tertiam, quartam vero non niſi interveniente juris ſolemnitate; & ita explicandum cenſent textum *in præſenti*, & *in d. c. ſignificaverunt*, ibi; *Ad quartam productionem*, & *in d. authent. Atqui ſemel*. Ita docuerunt Gloſſa *verbo Productionem*, Innocentius *n.* 2. Baldus *n.* 1. Verum prædicta explicatio convincitur ex verbis hujus textus, ibi: *Debent teſtes produci*. Et *in c. penult. hoc titul.* ibi: *Productionem*: Quibus verbis aperte ſignificatur, in præſenti textu, & ſimilibus agi de actione *quadam*, qua teſtes a litigante monentur, producunturque, ut proferant teſtimonium; ac ſubinde cum a proprietate ſermonis recedendum non ſit, ex regula textus *in l. non aliter, ff. de legat.* 3. utique dicendum videtur, textum hunc non poſſe intelligi de dilatione, quæ diverſa eſt a productione teſtium, argumento textus *in l. ſi id, C. de codicil.* Refellitur rurſus prædicta interpretatio ex aliis verbis hujus textus, ibi: *Et ſuper dictis teſtium, &c.* ubi dum dicitur denegata quarta productione diſputandum eſſe ſuper teſtibus, ſignificatur, talem diſputationem eſſe faciendam de illis teſtibus, qui in aliis productionibus recepti fuerunt. Faciunt etiam textus *in l. oratione* 7. *l. in pecuniariis, ff. de feriis*, ubi docetur, dilationem amplius quam ſemel non eſſe præſtandam. Hac igitur ſententia omiſſa, pro vera difficultatis ſolutione ſciendum eſt, quod in probatione in judicio facienda dilatio temporis, & productio teſtium conſiderantur; dilatio autem duplex eſt, alia legalis, alia judicialis dicitur. Prior a lege, poſterior a judice deſignatur. Inter utramque illud diſcrimen datur, quod legalis peremptoria eſt, & ſemel tantum conceditur, *d. l. in oratione, d. l. pecuniariis*; contra vero judicialis, quæ pro judicis arbitrio ex perſonarum qualitate, & cauſæ circumſtantiis coarctari vel prorogari valet. Rurſus ſciendum eſt, productionem teſtium dupliciter conſiderari. Primo cum lapſo tempore dilationis teſtes producuntur: ſecundo vero, cum intra idem tempus dilationis. Priori caſu non ſolum quando dilatio legalis, vero & quando judicialis deſignatur, teſtes, neque in prima, ſecunda, aut tertia productione rite

pro-

producuntur. Secundo vero caſu uſque ad trinam productionem perveniri poteſt; ad quartam vero non aliter, quam cum ſolemnitate in hoc textu præſcripta, propter timorem ſubornationis, & alia, quæ ſupra expendebamus, de qua teſtium productione non vero dilatione, exaudiendus eſt præſens textus. Nec obſtat argumentum difficultatis deductum *ex d. l. in exercendis*; ſiquidem in editione inſtrumentorum non datur eadem ratio, videlicet timor ſubornationis; unde tertia, & quarta editio inſtrumentorum datur etiam poſt publicatas atteſtationes, ut dicemus *in c. cum dilectus, de fide inſtrum.* Nec obſtat, quod ex ultimis verbis hujus textus expendebamus; nam licet poſt trinam productionem liceat adverſus teſtium depoſitiones opponere, & ad hujuſmodi exceptiones probandas teſtes producere, *d. c. teſtium* 31. non tamen licet hæc quarta productio, cum non ſit probatio ſuper eodem articulo, ſed ſuper diverſo, id eſt, non ſuper negotio principali, ſed ſuper exceptionibus contra dicta teſtium oppoſitis. Nec tandem obſtat textus *in d. l. officium 9. d. l. exceptiones* 19. quia omiſſo Accurſio, qui exiſtimavit *in d. novella 90. c. 4.* corrigi prædicta jura, dicendum eſt, in illis legibus tantum permitti reo exceptiones ſuas probare, etiam poſt probationem perfectam ab actore, cujus probationes reus jam cognovit: non tamen idem permittitur actori, ut notavit Rither. *in dict. novella*.

C A P U T XVI.

Idem *Præpoſito*, *&* *Canonicis* a *Embruden. Eccleſ.*

CUM tu, fili Præpoſite, cum quibuſdam Canonicis tuis, & venerabilis frater Archiepiſcopus veſter pro cauſa, quæ inter vos, & ipſum vertebatur, eſsetis in noſtra præſentia conſtituti, Archiepiſcopo aſserente, quod vos ante appellationem excommunicaſset, & poſtulante ſententiam ſuam confirmari, econtra propoſuiſti, quod poſt appellationem in vos ſententiam *b* excommunicationis protuliſse, & ob hoc dixiſti eam nullius momenti fuiſse. Objeciſti etiam, tam tu, quam altera pars, quod teſtes fuerunt hinc idem producti, & atteſtationes eorum receptæ. Nos vero auditis, & cognitis rationibus, & allegationibus utriuſque partis, & atteſtationibus inſpectis diligenter, cum conſtet, teſtes veſtros juraſse, quod poſt appellationem ſententiam tulerit; & Archiepiſcopi teſtes ſimiliter juraſse, quod ante appellationem: dicta teſtium benigne interpretari, ac providere volentes, ne de perjurii reatu notentur, quia utrumque eſse potuit, & quod poſt primam appellationem ſententiam tulerit, & ante ſecundam ſententia lata fuerit; de communi conſilio f. n. camdem ſententiam denuntiamus, & decernimus non tenere.

N O T Æ.

a EMbrud.) In prima collectione, *ſub hoc tit. c. 16.* legitur *Bruden.* poſt Concil. Lateran. *part. 8. cap.* 10. legitur *Eburdinen.* Sed in veteri codice Barcinonenſi legitur *Ebrudenſi*, quæ littera retinenda eſt. Ebrodunum, ſive Ebredunum, civitas eſt Archiepiſcopalis Galliæ Narbonenſis in Allobrogibus, intra Alpes maritimas, ad Durantium flumen, ſuper ſaxo in valle montibus altis cincta, non admodum ampla, at antiqua, & difficilis expugnatu, hodie *Ambrun.* De ea Ptolomeus, & Anton. *in ſuo itinerario*, ubi Zarita *fol.* 354. Aubertus Mireus *in notit. Epiſcop. litt. E, fol.* 315. Carolus a S. Paulo *geograph. ſacr. lib. 5. fol.* 156. Tamayo a Salazar *in Martyr. tom. 1. die 22. Januarii, fol.* 142. Franciſc. Hallier. *de hierarch. juriſd. lib. 4. §. 11. per tot.*

b b *Excommunicationis.*) Sed quomodo in hac ſpecie litteræ Archiepiſcopi fidem plenam non faciant, juxta adducta *in c. poſt ceſſionem 7. de probat.* Reſpondetur id ex eo provenire, quia ipſe contra Præpoſitum, & Canonicos propriam cauſam agebat, & ideo fides ejus litteris non adhibetur, juxta titulum Codicis *ne quis in ſua cauſa, l. omnibus, C. de teſtib.* docet Angujan. *de legib. lib. 1. c. 6. n.* 52.

C O M M E N T A R I U M.

3 Concluſio probatur. COncluſio, quæ communiter a repetentibus ex hoc textu deducitur, ſic ſe habet: „ Stante contradictione teſtium, in quantum fieri poſſit, reducendi ſunt ad concordiam. “ Probant eam textus *in c. periculoſe, de pœnit. diſt. 2. c. nihil 7. de V. S.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Miſyngerus *in hoc textu*, Fragoſo *pag. 1. de regim. Chriſt. Reipubl. lib. 6. diſp. 13. §. 5.*

4 Impugnatur concluſio. Sed hæc aſſertio valde difficilis redditur ſequentibus juris ratiociniis. Primum naſcitur ex eo; nam ubi teſtes inter ſe adverſantur, illorum teſtimonia non attenduntur, *cap. licet*, ubi notavi, *de probat.* Igitur eorum depoſitiones tamquam invalidæ fruſtra ad concordiam reducuntur. Secundum naſcitur ex eo, nam ubi teſtes inter ſe ſunt contrarii: majori eorum numero, ſeu digniori ſtandum eſt, *c. in noſtra 32. hoc titul. in cap. in canonicis 29. diſtinct. Clement. dudum, de elect. l. hoc carmen, §. 1. ff. hoc titul. cap. ſi teſtes, in princip. 4. q. 3.* Covarruv. *practic. c. 18. numero primo*. Igitur neceſsarium non eſt, eos ad concordiam reducere, ſed tantum numerare. Tertium oritur ex eo, nam quando dubia proponitur probatio, nihil dicitur probatum, *capite in præſentia, verſ. Præterea, de probat.* Gamma *deciſ. 210. numero ſecundo*. Sed in præſenti probatio dubia erat: ergo nihil fuit probatum, & per conſequens non erat, quod reduceretur ad concordiam. Quartum tandem expenditur ex eo; nam etſi teſtes ad concordiam reduci deberent in præſenti ſpecie, ne ipſi perjurii notam incurrerent; non tamen poterant actus multiplicari, & fingi. Primo quia facta fingi non valent, *l. in libello 11. §. facta, ff. de captivis, cap. cum in jure, de offic. deleg.* Secundo quia id expreſse obſervatum legimus in ſpecie textus *in cap. cum Joannes, verſ. verum, de fide inſtrum.* & in exemplo ſenum, qui adverſus Suſannam teſtimonium dixerunt, *cap. 13. Danielis*, ubi quia in loco commiſſi adulterii diſsentiebant, alter enim ſub pruno, ideſt in lico; alter vero ſub ſchino, ideſt lentiſco arbore ſtupratam dicebant, ipſa abſoluta fuit, neque ut ad concordiam reducerentur multiplicati fuerunt actus. Igitur nec etiam in præſenti ſpecie ob diſsenſum teſtium actus repetendi, & duplicandi erant.

5 Refertur antiquorũ interpretatio ad hunc textum. Quibus difficultatibus minime obſtantibus, vera eſt præſens deciſio, quas, & ſimiles ut effugiant Hoſtienſis *in præſenti*, Joannes Andreas *in c. 2. ut lite pendente, lib. 6.* exiſtimant, Alexandrum in præſenti contra juris rigorem ex æquitate tantum ſtatuiſse, ut teſtes ad invicem contrarii ad concordiam reducerentur. Pro quorum ſententia faciunt verba illa, *Benigne interpretari*; quæ quidem verba aperte demonſtrant, hoc eſse ſtatutum ex indulgentia, contra juris rigorem, prout in ſpecie conſiderat Joannes Andreas *ubi ſupra*: & verbum illud *volentes*, quod quidem propriam voluntatem denotare videtur, ut fatentur Doctores *in c. ſi Chriſtus 26. verſ. fin. de jurejur.* Sed hæc interpretatio convincitur aperte in primis ex verbis hujus textus, ibi: *Quia utrumque eſſe potuit.* Quæ quidem verba continent inter ſe rationem juri conſonam, ac ſubinde cum Alexander ea nitatur, jam apparet ſecundum juris regulas in præſenti procedere. Deinde quia licet verbum *benigne*, aliquando gratiam importet, plerumque tamen ponitur, cum res per obſcura explicatur, ut in textu ita intelligendo *in leg. Scævola 76. ff. ad Trebell.* ubi Scævola utitur verbis, *benigna interpretatione*, ut conſtet, ipſum jus obſcurum tantum declaraſse, ut in ſpecie reſolvit Cagnolus *in l. 1. n. 156. ff. de rebus creditis*. Denique Alexander III. hic reſpondet conſultationi, & ſuper controverſia ſententiam profert: ſed Pontifex ita reſpondendo jus novum æquum non ſtatuit, ſed de jure reſpondit, ex doctrina Gloſsæ finalis *in cap. conſultationi, de tempor. ordin.* præcipue cum utitur verbis jus antiquum explicantibus, ut in præſenti textu contingit, ibi: *Eamdem ſententiam pronuntiamus, & decernimus non tenere.* Quare hac ſententia omiſsa, aliter textum hunc accipit Gloſsa 2. *in c. cum contingat, de offic. delegat.* quam ſequuntur Innocentius *n. 7.* Alexander *in l. inter 83. §. ſi Stichum, n. 21. ff. de V. O.* Decius *in l. 2.* ubi Bartol. *num. nono ff. de reb. credit.* quando teſtes ſunt æquales, non vero ſi inæquales numero proponantur. Sed hæc ſententia etiam refellitur ex illis verbis hujus textus, *teſtes veſtros*: & illis, *Archiepiſcopi teſtes*; quibus verbis ſolum diſtinguit Alexander teſtes utriuſque partis ſimpliciter, ad oſtendendam contradictionem, & repugnantiam; non vero reſpicit inæqualitatem, de qua neceſsario mentio erat facienda, ſi de illa deciſio intelligeretur. Accedit, quia quando æquales ſunt teſtes, ſibi ad invicem repugnantes, ſententia pro reo eſt proferenda, Bartolus *in l. admonendi, n. 50. ff. de jurejuran.* Unde eo caſu non erunt reducendi ad concordiam. Alia communior interpretatio eſt, ut præſens textus procedat, etiamſi teſtes ſint numero diſpares, ſed ita ad concordiam redigantur tantum ad effectum, ut ipſi teſtes perjurium poſſint evitare. Ita Immola *in præſenti*, Felinus *in d. c. cum contingat, num. ſexto* pro quorum ſententia faciunt illa verba: *Ne perjurii reatu notetur*. Quibus aperte exprimitur cauſa propter quam teſtes ad concordiam reducuntur, quaſi extra illum effectum non ſint reducendi ad prædictam concordiam. Verum licet hic intellectus conformis videatur prædictis verbis, ſuſtineri tamen non valet, cum aperte repugnent illa verba ipſius textus: *Eamdem ſententiam decernimus non tenere*. Quibus manifeſte oſtenditur, prædictos teſtes Capituli Ebredun. non ſolum a culpa perjurii excuſari, verum ſententiam excommunicationis, de qua agebatur, poſt primam appellationem a Capitulo interpoſitam fuiſse prolatam, qua de cauſa Alexander III. cenſuit illam eſse nullam. Accedit quia ſi teſtes contrarii ſolum ad effectum vitandi perjurium, ad concordiam reducerentur, utique in aliis inutilis redderetur probatio: quod contrarium contingere in præſenti textu docetur.

6 Traditur vera decidendi ratio. His ergo interpretationibus omiſſis, ex mente aliquorum Interpretum dicendum eſt, textum hunc procedere non ſolum ob vitandum perjuri reatum, verum etiam ad inducendam probationem, ſive teſtes numero ſint æquales, ſive inæquales; ad quem effectum datur juris præſumptio, eo quod in ſpecie hujus textus bis fuit appellatum: quæ quidem præſumptio naſcebatur ex teſtimoniis ipſorum teſtium, ex quibus conſtabat, Canonicos Ebredunenſes excommunicatos fuiſse ante appellationem, & poſt appellationem communione privatos fuiſſe, ipſi probabant; unde ut teſtes ad concordiam reducantur, creditur bis fuiſſe appellatum, & excommunicatos fuiſſe poſt primam, non vero ante ſecundam appellationem, qua facta reductione pronuntiandum erat, excommunicationem eſſe nullam, juxta textum *in d. c. cum contingat, de offic. deleg. c. cum dilectis 55. de appellat.* Quæ interpretatio ſuadetur ex illis verbis, *Ne perjurii reatu notentur*; in quibus Alexander III. ſupponit, facta teſtium reductione ad concordiam, manere eoſdem teſtes de perjurio excuſatos; quo perjurio ceſſante, neceſſario probatio ex illis reſultat, argumento textus *in cap. teſtimonium, de teſtibus*. Probatur etiam hæc interpretatio *ex c. Abbate 25. verſ. Hoc autem, de V. S.* ubi docetur, ita faciendam eſſe reductionem, ſeu interpretationem, ut res potius valeat, quam pereat: quod & docetur *in l. quoties 13. ff. de reb. dub.* Ita tenent Baldus *in l. 3. C. ſi ex falſis inſtrum.* Menchaca *uſufrcq. cap. 30. num.* 13. Barboſa *in collect. ad hunc textum, n. 5.*

7 Reſpondetur difficultatibus. Nec obſtant difficultates ſupra expenſæ. Non prima, nam procedit, quod in ea expendebamus, quando talis eſt contrarietas, quæ ad concordiam reduci nequit, ſecus vero ſi aliquo modo ad concordiam reduci valeat, ut in præſenti caſu: quo modo etiam reſpondetur ſecundæ difficultati. Nec obſtat tertia difficultas: verum enim eſt, ſtante contrarietate teſtium, majorem numerum illorum ſemper in probatione prævalere; quo caſu non datur dubia probatio ob contradictionem, imo conſtat certam eſſe probationem, quæ ſequatur; nec tamen impedit quominus teſtes reducantur ad concordiam, ut certior probatio reddatur, & perjurii nota vitetur, *c. cum Joannes, verſ. Ad hoc, de fide inſtrum.* Nec tandem obſtat quarta difficultas; nam in præſenti multiplicantur actus, & præſumitur appellationem præceſſiſſe, quia plerumque contingit, in una, eademque cauſa bis appellari; & credebatur in præſenti, ex juſtis circumſtantiis, non ſemel, ſed bis fuiſſe appellatum. Neque contrarium adſtruitur *ex d. c. cum Joannes*, & exemplo Danielis; nam actus etiam ut in concordiam reducantur teſtes, multiplicari non poſſunt, ſi vel ex partium confeſſione, vel ex teſtium depoſitione conſtaret de unitate actus; quia tunc non præſumitur actuum multiplicatio, cum in apertis non ſit locus conjecturis; quo caſu procedit textus *in d. c. cum Joannes*, & factum Danielis; ex eo enim, quod de eadem hora teſtificabantur ſenes illi, colligebatur unitas actus; unde nulla fictione, vel præſumptione multiplicari poterant.

C A P U T XVII.

Idem a *Placentino Epiſcopo*.

FRaternitatis tuæ litteris nos conſuluiſti, utrum novi teſtes ſuper quæſtione judicata, in qua teſtibus renuntiatum fore ex utraque parte conſtat, ſint recipiendi? & utrum teſtibus in prima cauſa receptis, propter cauſam appellationis liceat ſuper quæſtionibus judicatis aliquid novi proponere? Licet igitur nobis ex his plene innotuerit, utrum teſtes ſuper eiſdem, vel novis capitulis a partibus deſiderentur induci: quia tamen cum prudentium juris copiam habeas, nos ſuper hoc conſulere voluiſti, tibi duximus reſpondendum, quod in prædicta cauſa, ſi nova contingerit emergere capitula, ſuper quibus aliqua partium voluerit novos teſtes inducere, vel per jam receptos aliquid comprobare, eos credimus ſuper novis dumtaxat capitulis fraternitatem tuam poſſe recipere, receptis prius ab ipſis, ſecundum formam recipiendorum teſtium, juramentis.

N O T Æ.

a PLacentino.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. c. 7.* & poſt Concil. Lateran. *p. 8. c. 17.* ex quibus ita reſtituo præſentem deciſionem. De Epiſcopo Placentino egimus *in c. fin. de juram. calumn.*

C O M M E N T A R I U M.

1 Probatur concluſio. COncluſio hujus textus, quæ & præcipua eſt hujus tituli, ita communiter deducitur ab Interpretibus; „ Publicatis atteſtationibus alii teſtes recipi non poſſunt, etiam in „ cauſa appellationis ſuper eiſdem articulis, vel directo contrariis. “ Probant eam textus *in cap. intimavit 18. verſ. idque, cap. cum veniſſet 25. cap. de teſtibus, cap. per tuas 48. hoc titul. cap. cauſam, cap. licet, de probat. Clement. 2. hoc titul. novella 90. de teſtibus §. quia vero, collat. 7. authent. qui ſemel, C. de probat.* Conſonant de jure regio lex *4. tit. 11. lib. 3. ordin. l. 34. tit. 16. par. 3. l. 10. tit. 6. lib. 4. recopil.* illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, & Doctores Garanna *in c. cum veniſſent 25. hoc tit.* Didacus Perez *in l. 4. ordin.* Cujacius, & Miſyngerus, & P. Paulus Pariſius *ad hunc textum*, Covar. *in practic. c. 13. n. 6. & c. 18. n. 6.* Amator Rodriguez *de modo videndi proceſſum, 8. tempore*, Rither. *in d. novel. Juſtin.* Richer. *in d. authent. qui ſemel*, plures congeſti a Magiſtro Bartholomæo Sanchez Academiæ noſtræ Clementinarum Cathedræ Moderatore *in d. Clem. 2. hoc tit. n. 1.* Borellus *t. 2. deciſ. tit. 9. per tot.*

2 Impugnatur concluſio. Sed adverſus hanc communem aſſertionem pro dubitandi ratione ita inſurgi valet. Teſtes toties in judicio recipiendi ſunt, quoties per illos veritas aſſequi poteſt, *l. unius, §. cogniturum*, ibi: „ Quocumque tempore, *ff. de quæſt. c. indicantem* „ 12. *ibi*: tamdiu actio ventiletur, quouſque ad rei veritatem „ perveniatur, nec litigantibus judex prius velit ſua obvia„ re, quam ipſi jam peractis omnibus nihil habeant in quæ„ ſtione, quod proponant.“ Sed etiam publicatis atteſtationibus ex nova teſtium productione forſan veritas aſſequi poterat, quæ nondum claruerat. Igitur etiam qualitatis atteſtationibus, tam in prima, quam ſecunda inſtantia, recipi poſſunt teſtes. Fulcitur hæc dubitandi ratio *ex c. conſtitutis 46. c. præſentata 50. hoc tit. c. 2. de purgat. vulgari*: ubi diſſerte aſſeritur, publicatis atteſtationibus teſtes recipi poſſe. Secundo difficilis redditur hæc aſſertio ex vulgari illo dicterio in ſecunda inſtantia non allegata allegabo, & non probata probabo, *l. eos 6. § ſi quid autem, C. de appellat.* Igitur etſi in prima inſtantia publicatis atteſtationibus noviter teſtes recipi non poſſint; tamen in ſecunda inſtantia non eſt ratio, cur recipi non debeant.

3 Publicatio quid ſit. Pro vera ratione hujus deciſionis capeſſenda ſciendum eſt, publicationem teſtium eſſe legitimam editionem atteſtationum, ſeu aperturam teſtium a judice legitime factam, ideſt elapſo termino probatorio ad petitionem partis, alia legitime citata. Gloſſa *in d. novella 99.* qua publicatione facta partes agnoſcunt depoſitiones teſtium, nec amplius jam novam productionem, ſuper eiſdem articulis, vel directo contrariis facere licet. Dixi *legitime*, quia niſi juxta juris ſolemnitatem facta fuerit, novi teſtes admittuntur, *c. per tuas, hoc tit. l. 16. l. 40. tit. 16. part. 3. l. 10. tit. 6. lib. 4. recopil.* veluti ſi partibus litigantibus, vel eorum procuratoribus intimata non ſit, *c. inſinuavit, de prob.* nam cum adhuc teſtificata non didicerint, poſſunt novos producere teſtes, *c. veniens 38. c. conſtitutis 46. hoc titul.* Etiam ſignanter dixi, *ſuper eiſdem articulis, vel directo contrariis*, ſuper quibus jam fuerant teſtes legitime recepti: nam ſuper novis articulis, etiam publicatis atteſtationibus novi teſtes recipi poſſunt, ex hoc textu, ibi: *Super novis dumtaxat capitulis*; & *c. cauſam 19. hoc tit.* Idem dicendum eſt, ſi quid allegatum reperiatur, & ſuper eo probationes admiſsæ non ſint; poterunt enim tunc teſtes examinari, *c. cum veniſſent, de teſtib.* docet Covar. *practic. c. 10. n. 6.* quod facilius admittendum eſt in articulis omiſſis, ex textu *in c. cauſam quæ 19. c. de teſtibus 29. c. ex tenore 35. hoc tit.* Notavit Cujac. *in c. per tuas 48. hoc tit.* vel ſi obſcure depoſuerunt; poſsunt enim officio judicis interrogari, *c. cum clamor 38. hoc tit. c. cum Joannes 10. de fide inſtrum.* appellamus autem nova capitula, non ſolum nova, & diverſa a prioribus, verum & pendentia ex eis, intentionem, aut exceptionem in judicium deductam reſpicientia, *l. per hanc, C. de tempor. appellat.* ibi: „ Quæ ad novum capitulum perti„ nent, ſed ex illis oriuntur, & illis conjunctæ ſunt. *Et d.* „ *c. cum Joan. ibi*: Quod etſi novum capitulum videretur, „ pendebat tamen ex vetere. “ Late exponunt in præſenti Abbas *n. 7.* Immola *n. 9.* Felinus *column. pen.* Miſyng. *in præſenti*, Speculator *tit. de teſte, verſ. Satis utiliter*.

Rationem prædictæ concluſionis expreſserunt Clemens V. *in d. Clem. 2. hoc tit.* ibi: *Cum non minus in appellationibus ſubornatio ſit timenda*. Juſtin. *in novella de teſtib. §. quia vero collat. 7.* in illis verbis: „ Ut poſt ſuſpicione habita, ne forte relictis prioribus, & dudum manifeſtis, propter eorum teſtimonia factis, ille non productionem teſtium, ſed de præcedentibus, aut non teſtificatis additamentum, aut eorum depoſitionibus emendationem deſideret. “ Quibus conſtat, rationem præſentis aſsertionis provenire ex eo, quia publicatis atteſtationibus, ſi alii teſtes admitterentur, facile ipſi corrumperentur, & inducerentur, ut adderent, vel detraherent omne illud, quod compertis atteſtationibus pars deeſse, vel ſupereſse agnoſcebat. Unde propter periculum ſubornationis, & timorem corruptionis teſtium, & vitanda perjuria juſte ſtatutum fuit, compertis depoſitionibus teſtium, & eorum atteſtationibus publicatis, non licere novos teſtes ſuper eiſdem articulis, vel directo contrariis recipere. Accedit alia ratio, videlicet ut daretur finis probationum, alioquin in infinitum teſtes producerentur, contra ea, quæ adduxi *in c. in cauſis 13. hoc tit.* Facit etiam, quia per publicationem atteſtationum a partibus petitam videntur eæ renuntiaſse juri producendi teſtes; unde amplius non eſt concedendus regreſsus ad ipſas productiones, *l. quæritur 14. § ſi venditor, ff. de ædil. edict. l. 3. C. de fide inſtrum. c. quam periculoſum 7. q. 1.* alias proſequuntur rationes Vivianus *in præſenti*, Bartol. Sanch. *in d. Clement. 2. ex n. 3.* (4 Traditur dubitandi ratio.)

5 Reſpondetur difficultatibus. Nec obſtant difficultates ſupra expenſæ. Non prima; verum enim eſt, teſtes toties eſse recipiendos, quoties per illos de veritate legitime conſtare poteſt; non tamen legitime conſtat, quoties tempore, & modo a legibus definitis non liquet de veritate. Unde textus *in d. l. unius, §. cogniturum, d. c. judicantem*, exaudiendi ſunt, quoties intra legitimum tempus teſtes examinantur, non vero extra terminum, jam publicatis atteſtationibus. Nec obſtat argumentum difficultatis deductum ex variis juris locis. Primus *ex cap. conſtitutis, hoc titul.* in cujus ſpecie, ultra quam agitur de cauſa matrimoniali, publicatio teſtium legitime facta non fuit, utpote inaudita parte,

te, quæ contra jus per vim prohibita fuit, ne intentionem ſuam probaret, & allegaret, ut conſtat ex illis verbis: „ Volente ad ipſum accedere, ut ſuas coram eo proponeret „ actiones, a ſatellitibus ejuſdem prohibita eſt, qui eis bis, „ vel tertio prohibuerunt ingreſſum. “ Unde cum publicatio teſtium non fuiſſet legitime facta, nec Regina didiciſſet teſtificata; ideo jure etiam poſt publicationem teſtes produci potuerunt. Nec etiam obſtat textus *in d. c. præſentata 50. hoc tit.* qui loquitur de teſtibus publicatis, non coram judice, ſed coram arbitris: quæ publicatio cum dici non poſſit judicialiter facta, ex eo quod arbitri juriſdictionem non habent a jure, *l. 1. C. de receptis, l. privatorum, C. de juriſd.* ideo teſtes etiam poſt publicationem coram arbitris recipi poſſunt. Nec tandem obſtat textus *in d. c. 2. de purg.* ubi non ſolum poſt publicationem, verum & ſententia prolata teſtes recipiuntur; nam cum ſententia in ea ſpecie invalide fuiſſet prolata, quia peregrina illa judicia ferri candentis, & aquæ frigidæ prohibita erant; ideo etiam poſt ſententiam teſtes examinantur. Nec adverſatur ſecunda difficultas deducta *ex d. l. eos, C. de appell.* Nam certum eſt, ſuper eiſdem articulis, vel directo contrariis teſtes recipi non poſſe ex præſenti textu, & *Clem. 2. hoc tit.* Nec contrarium probat textus *in d. l. eos*; nam omiſſa ſententia eorum, qui exiſtimarunt, textum illum correctum eſſe per jus noſtrum canonicum, dicendum eſt, in eo non decidi, publicatis atteſtationibus licere ſuper eiſdem articulis, vel directo contrariis teſtes recipere; ſed tantum licere in ſecunda inſtantia non allegata allegare, non probata probare, videlicet ſuper novis articulis etiam dependentibus a prioribus, ut docent Donellus, & Richierius *in d. authent. qui ſemel.*

Superiori aſſertioni opponi ſolet textus *in c. cauſam, pen. de prob.* ubi poſt publicatas atteſtationes productas ab uxore jubet Pontifex teſtes recipi a marito productos. Igitur poſt publicatas atteſtationes licet novos teſtes recipere. Cui difficultati vulgo reſponderi ſolet, textum illum procedere in cauſa matrimoniali, in qua ſpecialiter propter ejus naturam teſtes publicatis atteſtationibus recipi poſſunt. Sed facilius, ſi integra ejus textus perpendatur, reſponderi valet, in eo textu publicationem legitime factam non fuiſſe: quare recte poſt ipſam publicationem teſtes in ea ſpecie recipiuntur. Quo modo etiam accipiendus eſt textus *in c. ſeries 26. hoc tit.* junctis traditis a Bartol. Sanch. *in d. Clem. 2. n. 29.* D. Garanna *in c. cum veniſſet 25.* qui etiam opponunt, & exponunt textus *in c. cum bone, ult. de prob. c. veniens 38. hoc tit. leg. per hanc, C. de appell. c. cum Joan. de fide inſtrum.* quorum interpretationes cum obviæ ſint, conſulto omittimus. 6 Exponitur c. cauſam, pen. de probat.

C A P U T XVIII.

a Idem *Exonienſi Epiſcopo, & Abbati S. Albani.*

INtimavit nobis R. quod Vv. Clericus, capellanum ejus, & alios quamplures de teſtibus ſuis *b* juramento adſtrinxit, quod nec teſtimonium, vel conſilium, vel auxilium eidem R. contra ipſum præberent: ideo præſentium auctoritate vobis injungimus, ut ſi teſtimonium illorum *c* publicatum non eſt, & non eſt abrenuntiatum teſtibus, eos qui ſunt juramento adſtricti, & alios, ſi neceſſe fuerit, idoneos, quos ipſe in teſtimonium perduxerit, recipere non poſtponatis.

N O T Æ.

a IDem.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 18.* & poſt Concil. Later. *p. 8. c. 13.* ubi additur, *Abbati S. Albani.* De Epiſcopo Exonienſi jam aliqua notavi *in c. 6. de filiis presbyt.* Circa monaſterium S. Albani ſciendum eſt, monaſterium hoc, de quo hic agitur, percelebre eſſe in Anglia, S. Albano Protomartyri majoris Britanniæ dicatum, ab Offa Rege magnifice conſtructum anno Chriſti 794. magnis privilegiis a Romana Sede, & Regibus Angliæ decoratum; unde Matthæus Pariſ. dum de Priorata Tinemuæ agit, ait gaudere eiſdem privilegiis, & libertatibus, quibus Eccleſia B. Albani, cui collatum eſt quidquid fas eſt conferri alicui Abbati in ſpiritualibus a Summo Pontifice, & a piiſſimo fundatore ejus Offa, & aliis Regibus Angliæ in temporalibus quicquid Regia poteſtas potuit exhibere. Plura de eo Yepes *t. 3. chron. D. Benedicti, centur. 4. c. 2. per tot.*

b *Juramento.*) Quo non obſtante, teſtes teſtimonium dicere poterant, imo & coguntur abſque ulla relaxatione juramenti, *c. venerabilis, fin. de teſt. cogend. c. intimavit 18. c. conſtitutis 45. hoc tit.* docet Gaillus *lib. 1. obſerv. 200. n. 3.* Azevedus *in l. 6. titul. 6. lib. 3. recopil.* Nam præterquam quod nemo prætextu juramenti ſe a publico munere excuſare poterat, juramentum illud illicitum erat, & ſervari non poterat ſine diſpendio ſalutis æternæ. Grave enim ſcelus eſt veritatem celare, ut pluribus probat Cenedus *in præſenti, coll. 27. n. 1.* Unde cum tale juramentum, utpote temerarium, & contra bonos mores præſtitum, non ſit obligatorium, *ex c. in malis, cum vulgatis, 22. q. 2.* & ab ſpecie probat textus *in d. c. conſtitutis 45.* ibi: *Denunties juramento hujuſmodi non teneri*; conſequens erit, teſtem in præſenti poſſe teſtimonium dicere non petita relaxatione juramenti, quia neceſſaria non eſt, ut docent Gloſſa *in dict. cap. conſtitutis*, Abbas *in præſenti, num. 6.* Felinus *num. 4.* imo abſque perjurii reatu poſſe eidem juramento contravenire, quia non ſervando juramentum creditur pœnituiſſe de juramento inconſulto præſtito: poſt Gaillum, & alios docet Præceptor D. Mart. de Hotinberos *in c. 1. de teſt. cog. n. 24.*

c *Publicatum non eſt.*) Juxta adducta proximo commentario.

C A P U T XIX.

a Idem *Abbati, & Fratribus S. Michaelis de Martura.*

CAuſam quæ vertitur inter vos, & dilectos filios noſtros Plebanum, & clericos S. Mariæ de Martura, jam pridem filiis noſtris Archipresbytero Vulterano, & Abbati de Spongia commiſimus, ap. rem. ſine debito terminandam: cumque utraque pars propter hoc in eorum præſentia eſſet conſtituta, & teſtes eſſent hinc inde recepti, & eis ab utraque parte renuntiatum, & atteſtationes utriuſque partis publicatæ, quoddam privilegium *b* nuper a nobis impetratum in medium protuliſtis, aſſerentes vos quædam alia munimenta a nobis impetraſſe, quæ rationes ſupradictæ plebis obſcuraſſe, & impedire videntur: quare cauſa ipſa non potuit terminari. Quia vero ſolicitudini noſtræ incumbit utrique Eccleſiæ jura ſua conſervare integra, ac litibus, & contentionibus finem imponere, judicibus ipſis præcipiendo mandamus, ut partes ipſas ante ſuam præſentiam convocent, & ſuper aliis capitulis, ſi qua alia fuerint ab iis, ſuper quibus teſtes ſunt recepti, & eorum atteſtationes publicatæ, rationes hinc inde diligenter audiant, & teſtes, ſi qui idonei producti fuerint, recipiant, & nullis capitulis per nuntios veſtros a nobis impetratis, quæ contineantur in privilegiis veſtris, vel in aliis litteris, quas vobis indulſimus, poſtquam cauſam ipſam eiſdem commiſimus, prædictæ cauſæ impedimentum præſtantibus, concordia, vel juſtitia mediante decidant. Et quia venerabilis frater noſter Julius Florentinus Epiſcopus per ſuas nobis litteras intimavit, quædam capitula privilegio noſtro, quod monaſterio veſtro nuper indulſimus, eſſe inſerta, quæ obvia rationi videntur: per præſentia ſcripta vobis præcipiendo mandamus, quatenus privilegium illud, ſicut gratiam Beati Petri, & *c* noſtram charam habetis, cum nuntio veſtro, qui ad nos ſecure cum eodem veniat, dilatione, & oc. ceſſ. nobis mittatis.

N O T Æ.

a IDem.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. c. 19.* & poſt Concil. Later. *p. 8. c. 15.* quam inſcriptionem expoſuimus *in c. 1. de mutuis petitionibus.*

b *Nuper.*) Quatenus privilegium lite pendente impetratum proſit, & admittatur, diſputavi *in c. propo ſuiſti, de foro comp. c. ult. ut lite pend.*

c *Noſtram.*) Quia cognitio de dubiis privilegiorum ſpectat tantum ad Principem concedentem, *c. cum veniſſet 12.* ubi probavi, *de judiciis.* 3

C A P U T XX.

Idem a *Noruvicenſi Epiſcopo.*

b PErſonas Eccleſiarum in tua diœceſi conſiſtentium, ita tuis, & dominorum fundi authenticis ſcriptis præmunias, ut cum aliquam perſonam Eccleſiarum illarum decedere forte contigerit decedentis filius, vel vicarius, ſeu alius quilibet perſonatum Eccleſiæ vacantis viro idoneo conferendi tibi viam præcludere aliqua calliditate non poſſit.

poſſit. Quod ſi aliquis talium fruſtratoriæ dilationis cauſa ad noſtram audientiam appellaverit, & appellationi ſuæ prolixum terminum præfixerit, tu ei diem, infra *c* quem Apoſtolicam Sedem poſſit convenienter adire, aſſignes; & ſi ad illam venire contempſerit, tu illum ex tunc judicio tuo ſuper his, quæ in quæſtione vertuntur, ſine contradictione aliqua ſtare, omni excuſatione, & ap. ceſſ. diſtricte compellas. Si autem quiſquam appellationi ſuæ congruentem terminum præfigat, nec tamen cauſam ad diem appellationis fuerit proſecutus, ipſum nihilominus ex tunc ſententiæ tuæ, ſicut de alio diximus, ap. rem. parere conſtringas. Verum ſi coram te, vel alio quolibet hujuſmodi negotia ventilentur, nolumus, ut aliquando morbo conſimili laborantes, ſi certum ſit, aut legitime poſſint convinci ſuper his, ſi ab alterutra parte adducti fuerint, in teſtimonium recipiantur.

N O T Æ.

1 a IDem.) Ita etiam habetur *in c. perſonas 4. de appell.* ubi prior pars hujus textus refertur; & *in 1. collect. ſub eodem tit. cap. 4.* ex qua ita reſtituo hujus textus litteram. De Eccleſia Noruvicenſi nonnulla notavi *in c. ſi autem 9. de reſcrip.*

b *Perſonas Eccleſiarum.*) De perſonis, & perſonatibus Eccleſiaſticis aliqua congeſſi *in c. ad aures, de reſcript.*

c *Diem infra quem.*) Hanc priorem partem exponemus *in c. per tuas, de appell.* 2

d *Simili morbo.*) Ideſt ſi par ei controverſia cum aliis ſit, ſicut in *capite cauſam 18. de jud.* docetur, idoneos non eſſe judices quoſdam ejus controverſiæ, qui ſimilem ipſi cum aliis habent; quia & hi, & illi non aliter jus, & teſtimonium dicturi præſumuntur, quam ſibi dici optant, unde merito refelluntur, & repelluntur. 3

C A P U T XXI.

Idem *In Concilio a Lateran.*

JUdæi, ſive Saraceni, nec ſub alendorum puerorum obtentu, nec pro ſervitio, nec alia qualibet cauſa Chriſtiana mancipia in domibus ſuis permittantur habere. Excommunicentur autem qui cum eis præſumpſerint habitare. Teſtimonium quoque Chriſtianorum adverſus Judæos in omnibus cauſis, cum illi adverſus Chriſtianos teſtibus ſuis utantur, recipiendum eſſe cenſemus, & anathemate decernimus feriendos, quicumque Judæos Chriſtianis voluerint in hac parte præferre, cum eos ſubjacere Chriſtianis oporteat, & ab eis pro ſola humanitate foveri. Si qui præterea Deo inſpirante ad fidem ſe converterint Chriſtianam, a poſſeſſionibus ſuis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis converſos ad fidem eſſe oporteat, quam antequam fidem acceperunt, habebantur. Si autem ſecus factum fuerit, Principibus, vel Poteſtatibus eorumdem locorum ſub pœna excommunicationis injungimus, ut portionem hæreditatis, & bonorum ſuorum ex integro eis faciant exhiberi.

N O T Æ.

1 a LAteran.) Generali videlicet ſub Alexandro III. *c. 26.* de quo nonnulla retuli *in c. nonnulli, de reſcriptis.* Hæc verba etiam referuntur *in c. 5. de Judæis, in 1. collect.* & priora verba extant *in c. 5. de judæis*, in hac ſexta collectione.

COMMENTARIUM.

2 CErtum eſt, Judæos, Hæreticoſque catholicam fidem abnegantes teſtimonium contra Chriſtianos in judicio dicere non poſſe, *can. 75. Apoſt.* ibi: *Contra Epiſcopum hæreticus teſtis non admittatur.* Et *c. ſi quis 2. 3. q. 4. c. nullus 43. q. 5.* ibi: *Et qui recte non tenent, & docent fidem.* Et *c. non poteſt 24. c. ſi hæreticus 2. q. 7. c. ſi ipſa pietas 23. q. 4. c. excommunicamus, §. credentes, de hæret.* plura congerunt Juſtel. *in not. ad can. 130. Apoſt.* Ant. Aug. *in epit. juris, lib. 32. tit. 2.* Conſonant lex *quoniam 21. C. de hæret.* lex 3. *de Apoſt. lib. 3. c. Caroli, c. 133. l. 9. tit. 4. lib. 12. fori judicum*, ubi ita ſanxit Receſvinthus: „ Si el que mien„ tre delante los omes es defamado, e adeſer penado, quan„ do lo deve mas ſer aquel que es provado, que faz engan„ no contra la ley de Dios, e tales non deven ſer recibidos „ en teſtimonio contra los Chriſtianos: e por ende defende„ mos que los Judios, quier ſean baptizados, quier non, „ non podan ſer teſtimonios contra los Chriſtianos; mas los „ que naſceren de tales, ſi fueren de buenas coſtumbres, & „ de buena fee, poden dezir teſtimonio con verdad entre „ los Chriſtianos, en tal manera, que el ſacerdote, o el Rey, „ o el Juyz, ayan probadas las coſtumbres, e la fee de el„ los. “ Ubi expreſſit Rex rationem hujus prohibitionis deductam ex odio, & infeſtatione ipſorum; ſi enim laici non admittuntur in teſtes contra clericos; quia infeſti creduntur, ut probavi *in c. de cetero 9. hoc tit.* quanto magis Judæi, & hæretici, chriſtiani nominis hoſtes! Facit etiam, nam præterquam quod omnes iſti infames ſunt, *l. 1. C. de ſumma Trin.* ob quam notam a teſtimonio repelluntur, *l. 3. §. lege, ff. hoc tit. c. teſtimonium, hoc tit.* juſtum eſt, ut qui teſtimonium Eccleſiæ, & Chriſti non credunt, fide digni non exiſtimentur; & qui divina dogmata contemnunt, humani teſtimonii pondus perdidiſſe ſe noſcant, *d. c. ſi ipſa pietas.* Accedit, nam Judæi contra Chriſtianos nec ut advocati, vel defenſores admittuntur, *l. ultima, C. de Judæis*, Concil. Meldenſe *can. 7.* nec ipſos accuſare valent, *c. Pagani 2. q. 7.* igitur nec ut teſtes admittuntur, cum is, qui accuſare prohibetur, teſtis in judicio eſſe non poſſit, *c. 1. 4. q. 1.* Et licet inter Judæos & Saracenos aliquæ dentur differentiæ; tamen in hac parte æqualiter alii ac alii a teſtimonio repelluntur, ut contra Cujacium in præſenti docet Cironius *in paratit. ad tit. de Judæis.* Nec huic doctrinæ adverſatur Alexand. III. *in præſenti*, in illis verbis: *Illi adverſus Chriſtianos teſtibus ſuis utantur.* Quibus innuitur, Judæos in cauſis communibus contra Chriſtianos aliorum Judæorum teſtimonio uti. Quam difficultatem prævidens Raymundus legit, *Adverſus Chriſtianos uti præſumant.* Nam Alexander III. appoſuit verbum illud, *utantur*, ut exprimeret, ipſos de facto teſtibus Judæis uti contra Chriſtianos, pravam illorum conſuetudinem indicans. In quibuſdam enim regionibus Judæi tanta erant ſuperbia elati, ut Chriſtianis ſe ſuperiores eſſe profiterentur: imo & ſequentibus ſæculis ab aliquibus Principibus ſæcularibus privilegia impetrarunt, ut ipſi teſtibus Chriſtianis in Judicio convinci nequirent, ut refertur *in Clement. 2. de teſtibus*, ubi hujuſmodi privilegia caſſantur. Illuſtrant præſentem deciſionem, & variis limitationibus exponunt ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Socinus *regula 7.* Villadiego *in dict. leg. 9. fori*, Miſyngerus *in præſenti*, Rither. *in novell. 45. Juſtin. cap. 23.* Penna *in notis ad Eymericum, 2. parte, comment. 13.*

C A P U T XXII.

Alexander III. a *Marco Cardinali.*

SUper eo, quod a nobis tua devotio poſtulavit, utrum viro negante ſe mulierem *b* affidaſſe, ipſius mater mulieris, & altera mulier poſſit ad teſtimonium recipi? Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod quia mater filiæ videtur *c* incrementum diligere, & honorem, ubi vir ſuperior eſt divitiis, potentia, vel honore, aut nobilitate, teſtimonium ejus omnino *d* ſuſpectum videtur, ideo non eſt aliquatenus admittendum. Super illa vero quæſtione, quam feciſti, an filia conjungenda non ſit viro, eo quod ſola mater alterutrius eos eſſe conſanguineos confitetur: diſc. t. tal. reſpondemus, quod ſi matrimonium inter eos non eſt conſummatum, matre aſſeverante ipſos eſſe conſanguineos, non debent conjungi, quia præſumptio eſt non modica, quod ſe linea conſanguinitatis attingant, cum mater id confitetur: ſi vero matrimonium ratum eſt, & conſummatum, ſine juramento primum non debet diſſolvi.

N O T Æ.

1 a MArco.) Ita legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. 2.* in hac ſexta collectione legitur *Mattheo*; non tamen exprimitur cujus tituli Cardinalis eſſet, forſan quia cauſa Romæ agitabatur, & ita certa erat perſona ipſius Cardinalis.

b *Affidaſſe.*) Ideſt fidem ſuam mulieri dediſſe, ſeu obſtrinxiſſe; nam affidare, eſt fidem ſuam alicui dare, vel obſtringere, ut legitur in legibus Neapol. *lib. 2. tit. 37.* & aliis congeſtis a Lindembr. *in gloſſar. legum antiquar. verb. Affidare.* Voſſius *de vit. ſerm. lib. 4. c. 1.*

c *Incrementum.*) Quia mulier nobilitatur a viro, & ejuſdem dignitate & privilegiis fruitur, ut late probant Pichardus *in l. 3. C. de murileg. l. 11.* Parexa *de inſtrum. edit. tit. 2. reſol. 6. ſpec. 6.* Narbona *ad concord. fam. gl. 1. n. 40.* Eſcobar *de Pontif. juriſd. c. 36.* ubi de uxoribus Equitum Ordinum Militarium, & familiarium S. Officii fuſe agunt. 2

d *Suſpectum.*) Quia regulariter pater, & mater non poſſunt ferre teſtimonium in cauſa filii, exceptis caſibus congeſtis a Barboſa *in præſenti*, Bronchorſt. *centur. 1. aſſert. 91.* quod & ad nutricem extendit Phœbeus *deciſ. 169.*

e *Con-*

3 e *Conjungenda.*) Communiter ex hoc textu, & *ex capite præterea* 12. *de ſponſ.* deducitur, cum agitur de impediendo matrimonio, ubi peccatum timeri poteſt, ſufficere unicum teſtem, imo matrem alterutrius. Ita docuere Thomas Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 71. & *lib.* 7. *diſp.* 75. Covarr. *in* 4. 2. *part. cap.* 3. §. 1. Nec audiendus eſt Baſilius *lib.* 5. *de matrim. cap.* 34. qui contrarium affirmat, & præſentem textum accipit, quando cum depoſitione matris concurrunt alia adminicula: ſi autem agatur de diſſolvendo matrimonio, legitimus teſtium numerus deſideratur. Juxta quam diſtinctionem accipiendi ſunt textus *in cap. conſanguineos* 35. *q.* 6. *cap.* 3. *qui matrim. accuſare.*

C A P U T   X X I I I.

a Idem.

Licet univerſis Dei fidelibus ex commiſſo nobis officio debita debeamus proviſione adeſſe, attentius tamen Eccleſiaſticos viros a pravorum moleſtiis malignantium vigili cura defendere, ad quorum regimen ſpecialius ſumus, licet inſufficientibus meritis, divina providentia deputati. *b* Perlatum eſt autem ad audientiam noſtram, quod Judæi in civitate veſtra commorantes, ad tantam ſuperbiam, & elationem pervenerunt, quod ſi quando inter eos, & quemlibet clericum, ſive inter vos & ipſos cauſa emerſerit, vos ad ſæcularem judicem trahunt, & coram quocumque judice vobiſcum litigant per ſimplicem chartam, abſque teſtibus; vel per unum qualemcumque, Chriſtianum, ſive Judæum, contra omnem rationem & juſtitiam, ſententiam ſuam probare intendunt; & adverſus eos magnorum, & bonorum virorum non recipiunt teſtimonium. *c* Quia vero quod non eſt licitum Chriſtiano cuilibet, multo minus inimicis crucis Chriſti, ut ſcilicet viros Eccleſiaſticos ad ſæcularem judicem trahant, & cauſæ ſuæ unius tantum, & non legitimo teſtimonio finem imponant: diſcretioni veſtræ, &c. quatenus ſi inter vos, aut quoſcumque Chriſtianos, ſive Judæos cauſa emerſerit, pro nullius vocatione ad ſæcularem Curiam, ut ibi de negotio tractetis, aut judicem ſæcularem accedere præſumatis; ſed ſicut juſtitia exigit, & æquitatis ratio poſtulat, in qualibet cauſa Chriſtiani, & maxime clerici, ad minus duorum, vel trium teſtimonium, qui ſint probatæ vitæ & *d* converſationis, admittatis, juxta illud Dominicum: In ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quia licet quædam ſint cauſæ, quæ plures, quam duos exigant teſtes; nulla tamen eſt, quæ unius tantum, *e* quamvis legitimo teſtimonio terminetur. Ad hæc *f* præſentium auctoritate vobis ſignificamus, atque præcipimus, quatenus omnibus Chriſtianis, qui ſunt in veſtra juriſdictione, penitus interdicatis, & ſi opus fuerit, Eccleſiaſtica diſtrictione, prohibeatis, ne ipſi Judæorum ſervitio aſſidue pro aliqua mercede ſe exponant. Obſtetricibus etiam, & nutricibus Chriſtianis omnibus prohibere curetis, ne infantes Judæorum in domibus eorum nutrire præſumant: quia Judæorum mores, & noſtri in nullo concordant; & ipſi de facili, ob frequentem converſationem, & aſſiduam familiaritatem, inſtigante humani generis inimico, ad ſuam ſuperſtitionem, & perfidiam ſimplicium animos inclinarent. Præterea parochianis veſtris uſuram accipere omnibus modis interdicatis, quia uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtatur. Quod ſi monitis veſtris parere contempſerint, ſi clerici ſint, eos ab officio, & beneficio ſuſpenſos, cum litteris veſtris rei veritatem continentibus, ad præſentiam noſtram mittere non differatis: ſi laici fuerint, uſque ad dignam ſatisfactionem vinculo excommunicationis eos adſtringatis.

N O T Æ.

a *Idem.*) In ſecunda collectione, *ſub tit. de foro compet. c.* 1. ubi reperitur hic textus, tantum legitur *Alexander III.* nec exprimitur, cui miſſa ſit hæc decretalis: poſt Conc. Lateran. *p.* 20. *cap.* 2. ex quo codice ita integram hujus textus reſtituo, in totum omittitur inſcriptio: ergo ſupplendam exiſtimo ita; *Alexander III. univerſis Prælatis Angliæ*; & decretalem hanc miſſam eſſe Epiſcopis, ſuadent verba illa, *inter eos, & quemlibet clericum;* ſive, *inter vos*, & ibi, *converſationis admittatis.* Ex quibus liquet, Alexandrum loqui cum Prælatis clericis majoribus, & juriſdictionem habentibus; & apertius ex illis; *In veſtra juriſdictione penitus interdicatis.* Et Prælatos ipſos fuiſſe Angliæ, conſtat *ex cap. ſequenti ejuſdem partis* 20. ubi dum Alexander agit de ipſis Judæis cohibendis in aliquibus exceſſibus, ait: „ Si qui Judæi ſunt, qui in „ provincia veſtra tali modo parochias detineant, ipſos ad „ eas dimittendas, requiſito prius, & habito conſenſu cha„ riſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici Illuſtris Anglorum Re„ gis, diſtrictius cogatis. “ Accedit, nam temporibus Alexandri III. & prædicti Henrici ſecundi Regis Angliæ ea inſula Judæis magnopere abundabat, ut refert Polydor. Virg. *lib.* 13. *hiſt. Angl. fol.* 232. *num.* 10. „ Per eos dies Marga„ rita uxor Regis Henrici filii enixa eſt filium, qui intra „ triduum vitam finivit. Erat ea tempeſtate per omnem An„ gliam ingens Judæorum multitudo, quibus cum alibi, quam „ Londini non eſſet ager ad condenda defunctorum cadave„ ra, neceſſe habebant ad eum locum ex toto regno fœda „ demortuorum corpora deferre. “ Quare ut ab eo incommodo vacui eſſent, ab Henrico impetrarunt, ut ubicumque in tota inſula degerent, eo loci agrum ſepulturæ ſuorum aſſignatum haberent. Ex quibus omnibus non improbabiliter deducitur, Alexandrum III. in præſenti reſcribere Prælatis, ſeu Epiſcopis Eccleſiæ Anglicanæ.

b *Perlatum eſt.*) Ab his verbis incipit textus *in cap.* 1. *de foro compet. in* 2. *collect.*

c *Quia vero.*) Hinc incipit textus præſens apud Raymundum.

d *Vitæ, & converſationis.*) Conſonant textus *in c.* 2. 2. *q.* 4. *c.* 6. 6. *q.* 1. *c.* 4. 5. *q.* 3. ibi: *Qui non ſunt bonæ converſationis*; & alii adducti *in c.* 1. *verbo Fideles, hoc titulo.*

e *Quamvis legitimi.*) Recte emendavit Cujacius in præſenti, *quaſi legitimo.*

f *Ad hæc præſentium.*) Hæc verba reperiuntur *in c. ad hæc, de Judæis*, ubi ea exponemus.

g *Præterea parochiani.*) Hanc ultimam partem tranſcripſit, & compilavit Raymundus *in c. præterea, de uſuris.*

COMMENTARIUM.

3 Concluſio deducitur, & probatur. Ex hac Decretali ſequens deducitur diſputanda aſſertio; *Ad deciſionem cujuſque cauſæ duo, aut tres teſtes ſufficiunt.* Probant eam Div. Paulus 1. *ad Timoth.* 5. *verſ.* 19. „ Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub „ duobus, aut tribus teſtibus. *Textus in can.* 75. Apoſt. Con„ tra Epiſcopum in teſtem hæreticus non admittitur, nec fi„ delis quidem, ſi unus tantum ſit, in ore enim duorum, „ vel trium ſtat omne verbum. *Et c. accuſatio* 29. 2. *q.* 7. *c.* 1. „ *ibi*: Aut duobus, vel tribus teſtibus, convincatur, “ 48. *diſt. c.* 1. 2. *q.* 7. *c. ſi teſtes*, §. *ubi numerus* 4. *q.* 3. *c.* 4. 35. *q.* 6. *cap. in omni, c. quæſtionis, c. cum a nobis* 28. *hoc titul.* Nicolaus *ad conſult. Bulgar. cap.* 86. „ Cum liber homo crimine fuerit appe„ titus, niſi jam pridem repertus eſt alieni ſceleris reus, aut „ tribus teſtibus convictus, pœnæ non ſuccumbit *6. Synod.* „ *Trul. can.* 85. In ore duorum, vel trium ſtet omne verbum; „ ut ſcriptis accepimus, a dominis manumiſſos coram tribus „ teſtibus eo honore fungi volentes. “ D. Thomas 2. 2. *q.* 70. *art.* 2. *l. ubi numerus* 12. *ff. de teſtib. l.* 3. *C. de naufrag. leg.* 7. *Cod. Theodoſ. de fide inſtrum. & teſtium.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa, & Garanna, Cujacius, & Miſyngerus *hic*, Donellus in *in l.* 9. *C. de teſtib.* & *lib.* 24. *comment. c.* 8. Oſualdus *lib.* 25. *ejuſdem, c.* 15. Angujanus *lib.* 3. *controv. c.* 19. Cujacius *in l.* 3. *C. de rebus creditis*, Langleus *lib.* 4. *ſemeſtr. c.* 5. P. Gregor. *lib.* 5. *part. tit.* 11. *c.* 8. Marcinus *lib.* 1. *de triplicis juris collat. c.* 148. Anton. Matthæus *de crim. tit. de probat. cap.* 3. Ant. Auguſt. *in epit. juris, lib.* 32. *tit.* 3. Giphanius *in l.* 9. *C. de teſtib.* Rither. *in novel.* 20. *de teſtibus, c.* 22. Arellano *lib.* 2. *antin. juris can. c.* 6. Borel. *t.* 2. *deciſ. tit.* 5. *de numero teſtium.*

4 Impugnatur hæc aſſertio. Sed contrarium, imo majorem numerum eſſe adhibendum in actibus humanis, facile probatur ex quampluribus utriuſque juris teſtimoniis: in teſtamentis ſeptem deſiderantur, *l. hac conſultiſſima, C. de teſtam.* §. *ſed cum paulatim, Inſt. eod.* in codicillis quinque, *leg. fin. Cod. de codicillis*, totidem in donatione cauſa mortis, *l. fin. C. de donat. cauſ. mort.* Si agatur de audienda confeſſione creditoris fatentis factam ſibi ſolutionem, aliquando tres requiruntur, *l. ult. Cod. certum petatur;* aliquando quindecim, *l. unicuique, Cod. de proxim. ſacr. ſcrin. lib.* 12. juxta tradita ab Oſualdo *d. c.* 15. ſeptem deſiderantur in divortio, *l. nullum, ff. de divort.* in inventario conficiendo, *novell. de hered. & Falcid.* §. *ſi vero*; in purgatione canonica, *c. omnibus, in fine.* 11. *q.* 5. in caſibus legis *ſcripturas* 11. *in fine, C. qui potior.* in pignore, *l.* 1. §. *ille autem*; *Cod. de Latin. libert. leg. comparationes* 19. *Cod. de fide inſtrum. l.* 15. quæ eſt Græca, ante legem *ſi quis teſtibus*, a Cujacio compilata, *l. teſtium, Cod. hoc titul.* Igitur regulariter in judicio non eſt ſufficiens teſtimonium duorum, vel trium teſtium.

5 Explicantur auctoritates ſacræ paginæ. Sed adhuc affirmandum eſt, regulariter in omni cauſa, duorum, vel trium teſtium numerum tantum deſiderari, & ſufficere ad plenam probationem, juxta ſacræ paginæ auctoritates. *Deut. c.* 17. ibi: „ In ore duorum, vel trium peri„ bit, qui interficietur. Nemo occidatur uno contra ſe teſti„ monium dicente. *Et c.* 19. Non ſtabit teſtis unus contra ali„ quem, quicquid peccati, aut facinoris fecerit: ſed in ore „ duorum, vel trium ſtabit omne verbum. “ Matthæi *cap.* 18. & Joannis *c.* 8. *verſ.* 8. D. Paul. 2. *ad Corint. c.* 13. *verſ.* 2. & *ad*

ad Hebræos c. 18. *verſ.* 2. relatus *in c. novit, de judic. c. admonere* 33. *q.* 2. *c. cum eſſet, de teſtam.* & a Gratiano *in ſumma* 2. *q.* 4. ex quibus locis aliqui deducunt, a jure divino ita præfinitum eſſe duorum, aut trium teſtium numerum, ut conſuetudine, ſeu alia lege fieri non poſſit, ut unico teſti fides adhibeatur, aut amplior numerus teſtium petatur. Ita Alciatus *in leg.* 1. §. *ut numero* 23. *ff. de V. S.* Felinus *in c. ult. de majorit. & obed.* alii congeſti a Covarr. *in d. c. cum eſſet, n.* 3. pro quorum ſententia facit textus *in d. c. cum eſſes*, ubi R. P. improbat, & damnat conſuetudinem, quæ in terris Eccleſiæ ſeptem teſtes ad valorem teſtamenti exigebat, tanquam contrariam legi divinæ, quæ affirmat, in ore duorum, vel trium ſtare omne verbum. Igitur quia numerus duorum, vel trium teſtium præſcriptus eſt lege divina, & per conſequens nulla humana lege, vel conſuetudine minui, augerive poteſt. Sed contraria ſententia defendenda eſt, videlicet, in prædictis ſacræ paginæ teſtimoniis nullum præceptum divinum circa numerum teſtium referri morale, hodie vim retinens obligandi, aut quod enumeretur inter moralia, ſed inter judicialia, quæ ad ſtatum illius populi pro eo tempore data fuerant, & continebant juſtitiam illi populo convenientem, ut obſervant Roderic. Suarez *tit. de las juras, n.* 30. Felinus & Abbas *in c.* 2. *de probat.* Theologi poſt D. Thomam 1. 2. *q.* 105. *art.* 2. *in corpore.* Unde cum præcepta judicialia poſt mortem Chriſti, ut probavi *in c. tranſlato, de conſtitut.* ceſſaſſent, & jam poſt legem Evangelicam, & ejus promulgationem non habemus præceptum morale de duobus, aut tribus teſtibus neceſſario adhibendis, non adeſt præceptum circa numerum teſtium. Quæ ſententia firmatur validiſſimo fundamento, nam juxta Angelicum Præceptorem communiter receptum 1. 2. *q.* 108. *articul.* 1. & 2. & *quodliber.* 4. *articul.* 3. Covarruv. *de ſponſ.* 2. *p. c.* 6. §. 10. *n.* 1. Sotum *l.* 2. *de juſtitia, quæſt.* 8. *articul.* 2. in lege gratiæ nullum continetur præceptum, quod non ſit naturale, exceptis his, quæ ad Deum, & Sacramenta Eccleſiæ ſpectant. Sed illud præceptum, *In ore duorum, vel trium*, non eſt naturale, nec ad hujuſmodi articulos ſpectat: igitur non continetur in lege Evangelica. Unde licet *in d. c.* 18. Matthæi a Domino noſtro præceptum illud referatur, & explicetur; non tamen ſuſcitatur, aut renovatur: & ita ſimiliter Eccleſia expendendo prædictas ſacræ paginæ auctoritates, non cognovit unquam præceptum divinum adeſſe de duobus teſtibus, & non amplius adhibendis, & ita utitur prædictis ſacræ Scripturæ locis, quæ præceptum non continent. In Eccleſia enim non probatur aliquid eſſe de jure divino poſitivo, ex eo, quod proferatur aliquod teſtimonium veteris Teſtamenti, quod probet in Synagoga juris divini fuiſſe; quia lex divina poſitiva vetus, exceptis moralibus præceptis, ceſſavit, ut loquens de decimis tenet Abulenſis *in c.* 23. *Matthæi, q.* 108. Sotus loquens de reſidentia, *l.* 10. *de juſt. q.* 3. *art.* 1. & alii apud Cutel. *de Eccleſ. libert. lib.* 2. *quæſt.* 1. *ex num.* 1. Barb. *ad Gratian. in princ.* 1. *diſt. num.* 4. Nec hoc jus divinum vetus in affirmativo præcepto credendi duobus, vel tribus in uno negotio conſiſtebat, ſed in negativo non credendi uni. Sotus *l.* 4. *q.* 5. *artic.* 3. Cano *de locis l.* 6. *c.* 8. Nec obſtat textus *in c. cum eſſes, de teſtam.* cujus interpretationem in ejus notis dabimus.

5 De Jure poſitivo. Nec etiam duo teſtes, vel tres in quocumque negotio ſufficere, recte vulgo deducitur *ex leg. ubi numerus* 12. *ff. de teſtibus*, ubi ait Ulpianus: „ Ubi numerus teſtium non adjicitur, „ etiam duo ſufficient, pluralis enim locutio duorum numero „ contenta eſt. “ Ex qua Doctores communiter deducunt, in omni contractu, negotio, aut inſtrumento ſufficere duos teſtes: quæ ſententia refellitur ex juribus ſupra pro ratione dubitandi adductis, ubi deſiderantur tres, quinque, vel ſeptem teſtes pro actuum varietate: quare ſi recte perpendatur Ulpiani ſententia *in dict. leg. ubi numerus*, ea eſt, ubi in aliquo edicto, lege, aut Senatuſconſulto ſit mentio teſtium, nullus tamen eorum numerus exprimitur, tunc ſufficere duos teſtes, ex ratione a Conſulto adjecta; quia videlicet pluralis locutio duorum numero contenta eſt, ut contingit in conditione, legato, vel inſtitutione adjecta per hæc verba: *Si illud feceris in diebus*, non expreſſo numero dierum, faciendum eſt illud, ita ut intra biduum conditioni pareatur, *lege inter* 207. §. 1. *ff. de V. S. lege libertas* 17. §. *ultim. ff. de manum. teſt.* ubi ſervus ita manumiſſus, *Poſt annos liber eſto*, erit liber poſt biennium: unde quia in legibus, edictis, & aliis actibus humanis interdum non præſcribebatur numerus teſtium, ideo ait Ulpianus ſufficere duos teſtes: quæ interpretatio ſuadetur ex illis Conſulti verbis: *Adjiciatur*; &, *pluralis locutio*: quæ plane demonſtrant, Ulpianum agere de ſcriptura aliqua, in qua mentio numeri teſtium non fiebat; & tunc recte ait, ſufficere duos adhibere.

6 Traditur dubitandi ratio. Igitur cum circa numerum teſtium non ſit aliqua divina, vel poſitiva lex civilis, ſeu canonica, quæ regulariter, & abſolute numerum teſtium præfiniat in omnibus humanis actibus adhibendum, ita diſtinguendum eſt: aut certo actui numerus præfinitus eſt a lege, vel non eſt definitus: ſi præfinitus eſt, ipſe numerus adhiberi debet, alias actus corruit, ut in juris locis ſupra adductis; cum vero numerus præſcriptus non eſt, ſed tantum teſtes exiguntur ad probationem, duo, vel tres ſufficiunt, ex præſenti textu, & aliis pro ejus confirmatione expenſis; & erit legitima probatio, ut agnoverunt Plautus *in Menec. actu* 4. *verſ.* 20.

Nec magis ego manifeſto teneri hominem hunc, quem vidi,
Omnibus malefactis: teſtes tres aderant acerrimi.

Et ſubtiliſſimus D. Aloyſius de Gongora (nam dum exterorum Poetarum amœnitates recolimus, hunc, quia proprium, omittere non debemus) in elaborato poemate, cui nomen indixit, *Fabula de Piramo, verſ.* 94. Hujus autem concluſionis, & doctrinæ, videlicet non præfixo numero teſtium, duos vel tres adhiberi ſufficere, ratio redditur a D. Thoma *in epiſtola Pauli ad Hebræos, cap.* 10. *lect.* 3. & 2. 2. *quæſt.* 70. *articul.* 2. *in corpore*; quia in judiciis unus affirmat, & alter negat: nec plus credendum eſt uni, quam alii; cum vero de his, quæ ibi agitantur, non poſſit haberi certitudo demonſtrativa, eo quod objectum judicii conſiſtat in factis contingentibus, & revocabilibus, ſufficit probabilis certitudo, quæ ut plurimum veritati accedit. Eſt autem probabile, quod duorum depoſitione aperte explicatur; quapropter ſi idonei teſtes veritatem inſtruant, hoc eſt non minus quam duo, præter eum qui agit, ſatis probata creditur ejus intentio: omnis enim multitudo in tribus conſiſtit, ſecundum Ariſtotelem *libro primo de cœlo, textu* 22. & omne totum in tribus verificatur, *lib.* 1. *ff. de opt. legat.* Quam rationem ſequuntur Simanc. *de cathol. cap.* 50. Gregorius & Valentia *in comm. Theol. diſt.* 5. *quæſt.* 14. Donellus *ad tit. Cod. de teſtibus.* Accedit, quia in jure cautum eſt, ut ad probationem in judicio non ſufficiant ſingulares teſtes, ut jam ſæpius probavi; ſed deſiderantur plures: at pluralis locutio duorum nomine eſt contenta, *dict. l. ubi numerus.* Igitur quia duo teſtes ſufficiunt ad legitimam probationem. Ex quibus ſatisfactum manet rationi dubitandi ſupra expenſæ; nam in juris locis ibi adductis, ob ſpeciales rationes, quas ſuis locis aſſignabimus, major numerus teſtium deſideratur, aut ad probationem, aut ad ſolemnitatem: & in cauſa hæreſis duos teſtes re, tempore, & loco conteſtes plenam facere probationem, docuerunt Boerius *deciſ.* 341. *quæſt.* 13. Silveſter *in ſumma, verbo hæreſis*, Albertinus *de agnoſc. aſſert. quæſt.* 34. *n.* 2. Caſtropalao *tom.* 1. *tract.* 4. *diſput.* 8. *punct.* 5. §. 5. Trullench *libro* 5. *oper. mor. capite* 2. *dub.* 6. *per tot.* Simancas *de Cathol. titul.* 51. *num.* 7. Farinac. *de hæreſi, quæſt.* 188. *num.* 56. Santarel. *de hæreſi, cap.* 39. *dub.* 2. *num.* 11. Guazinus *in defenſ. reor. defenſ.* 34. *c.* 4. *num.* 5. Azevedus *in l.* 1. *tit.* 3. *l.* 8. *recopil.* Carena *de offic. Inquiſit. p.* 2. *tit.* 1. §. 8. *nu.* 94. etſi generali praxi Hiſpaniæ receptum ſit, ut ad imponendam pœnam relaxationis, ſaltem tres teſtes adſint re, tempore, & loco conteſtes.

Sed ſupra traditis adverſatur difficilis textus *in c. nullam* 2. *quæſt.* 6. in illis verbis: „ Nullam damnationem Epiſcopo- 7 Exponitur textus in c. nullam 2. qu. „ rum unquam eſſe cenſemus, niſi aut ante legitimum nu„ merum Epiſcoporum (qui ſit per duodecim Epiſcopos) „ aut certe probata ſententia per lxxii. teſtes idoneos, qui „ tales ſint, qui & accuſare poſſint. “ Ex quibus expreſſe deducitur, Epiſcopum non aliter damnari poſſe, niſi cum lxxii. teſtibus: igitur quia in duobus, vel tribus non conſiſtit legitima probatio. Idem etiam probatur *ex cap. Præſul, ead. cauſ. & quæſt.* ubi Silveſter in Synodo Romana ita ſtatuit: *Præſul non damnabitur, niſi cum LXXII. teſtibus.* Et in Synodo Sinueſſano refertur in cauſa Marcellini Papæ accuſati, eo quod coram Diocletiano Imperatore falſis Diis thus adolevifſet, teſtium numerum receptum fuiſſe ad exemplum libræ occiduæ, quæ LXXII. ſolidos continebat, ut in actis ipſius Synodi refertur his verbis: „ Hi omnes electi ſunt „ viri libra occidua, qui teſtimonium perhibent, videntes „ eum Marcellinum ſacrificaſſe. *Item:* Intra hæc LXXII. te„ ſtimonia. *Et ſtatim*: Quoniam in ſeptuagintaduorum li„ bra occidua in reparationem ſurgit annus. *Et poſt:* Non„ dum enim fuerat damnatus, niſi numerus ſecundum ordi„ nem Synodi libræ probaret exemplum. “ Sed antequam difficultati ſatisfaciamus, breviter examinandum eſt, quid per libram occiduam in prædictis actis Marcellini intelligatur? Et in lege *quotieſcumque, Codice de ſuſceptor. l.* 10. *in lege unic. Codice de oblat. votorum, in Theodoſ. lege* 1. *Codice eodem, de ponderat.* & perdocti viri Card. Baron. *anno* 301. I. Dartis *in animadv. ad ipſum, eodem anno, fol.* 85. P. Gibalinus *tom.* 1. *de negot. libro ſecundo, c.* 4. *art.* 9. *conſect.* 3. Cujacius *lib.* 17. *obſerv. c.* 9. Scaliger *de re nummaria, pag.* 65. libram occiduam dici putant, quæ in Occidente obtinebat, ad differentiam libræ orientalis, quod hæc octoginta ſolidos obtineret, juxta legem Conſtantini primam, *Cod. de ponderat.* illa vero ſeptuaginta duos, ex conſtitutione Valentiniani, & Valentis in vexata illa lege *quotieſcumque* 51. *Cod. de ſuſceptor. lib.* 10. Merillus *libro primo obſerv. c.* 30. Gothof. *in l.* 13. *Cod. Theodoſ. de ſuſceptor.* & ita ab Occidente Occiduam dictam eſſe exiſtimarunt. Aliter Gothofredus *de mutatione, & augmento monetæ*, interpretatur libram occiduam, ideſt quæ fuit imminuta a Valentiniano, cum antea major eſſet. Movetur ex eo, quia occiduum paſſim ab auctoribus bonæ notæ imminutum dicitur: apud Claudianum, *occiduus ſol:* apud Proſperum,

Quorum animas mundus non tenet occiduus.
Factum eſt æternum, quod fuit occiduum.

Noviter Joan. Dartis *in d.* 2. *q.* 5. putavit non eſſe legendum *libram occiduam*, ſed *aſſiduam*, ideſt veram, & expenſam; quia ut ait Iſidorus *l.* 10. *orig.* aſſiduus dicebatur apud antiquos, qui aſſibus ad ærarium expenſum conferendis præerat. Utcumque tamen ratio hujus nomenclaturæ petatur, illud certum eſt, Concilium Sinueſſanum antequam ab Arcadio, & Honorio libra redacta

eſſet ad ſeptuaginta duos ſolidos, celebratum fuiſſe; quare recte Baronius, & Jo. Dartis *ubi proxime*, advertunt acta hujus Concilii conſcripta fuiſſe eo tempore, quo libra facta erat ſeptuagintaduorum ſolidorum; & Concilii notarium, ſeu conſcriptorem locutum fuiſſe more ſuorum temporum, in quibus acta ſcribebat. Baronium ſequitur Innoc. Cironius *l. 4. obſerv. cap. ult.* ubi rationem, & originem libræ occiduæ docte tradit. His ſuppoſitis, ut difficultati ſupra expoſitæ ſatisfaciamus, dicendum eſt, jam a temporibus Silveſtri, ſi vera ſunt, & non apocrypha ipſius acta, ut Gelaſius refert *in can. 3. diſt. 15.* Epiſcopum non damnari niſi cum ſeptuaginta duobus teſtibus; Presbyterum Cardinalem niſi cum quadragintaquatuor; Diaconum Cardinalem niſi cum vigintiſeptem; Subdiaconum, & alios in minori gradu conſtitutos cum ſeptem, quia numerus ille LXXII. magno in pretio in Eccleſia habebatur; ſiquidem Chriſtus Dominus ſeptuagintaduos elegit diſcipulos, ut teſtes ipſi eſſent, & prædicarent Evangelium, *Lucæ c. 10.* ad quorum exemplum adduci cœperunt teſtes ejuſdem numeri, ut ait Zephirinus in epiſtola relata ab Ivone *p. 5. c. 245.* Fuerunt quoque ſeptuagintaduo Interpretes ſacræ Scripturæ, licet vulgo numerentur tantum ſeptuaginta, ut ex Epiphanio notavit Cironius *d. c. ult.* Sic in damnatione Chronopii Epiſcopi totidem teſtes examinati fuere, ut referunt Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus *in l. 19. Codicis Theod. quorum appell.* ubi licet dicatur, Chronopium a ſeptuaginta damnatum fuiſſe, certum eſt ſeptuagintaduos adhibitos fuiſſe, ſed ut numerus rotundaretur, mentio fit tantum ſeptuaginta: ob quam etiam rationem ſimiliter, etſi Interpretes ſacræ paginæ fuerint ſeptuagintaduo, ſeptuaginta tantum nuncupantur: notarunt Cujac. *l. 17. obſ. c. nono*, Cironius *l. 4. obſ. c. fin.* & ita Zephirinum idem conſtituiſſe refert Luitprandus *in ejus vita*. Unde jam a primis Eccleſiæ ſæculis obſervatum fuit, ut ad condemnandum Epiſcopum prædictus teſtium numerus adhiberetur, ut variis exemplis probat I. Gothofr. *in l. 10. C. Theod. quorum appell.* quod ſtatutum fuit ex triplici ratione. Prima, quia in tali dignitate tales inſtitui debent, quorum ſanctitati plus credatur, quam multis teſtibus. Secunda, quia plerique ex his officiis juſtitiæ præpoſiti ſunt, propter quæ multos habent adverſarios. Tertia quia ex damnatione Epiſcoporum dignitati ſuæ Eccleſiæ derogatur, quod eſt periculoſius quam aliquem peccatorem tolerare, niſi valde publicum, & manifeſtum, de quo grave ſcandalum oriatur: ita textum *in d. c. Præſul, 2. q. 4.* explicat D. Th. *ubi ſupra, q. 70. art. 2. & 3.* & poſt alios exponunt Gloſſa *in d. c. Præſul.* Canus *de locis l. 6. c. 8. v. Ad quartum:* & Gloſſam *in d. c. Præſul*, hoc non admittentem in Rom. Pontifice, merito ut erroneam reprehendunt Jul. Clarus *l. 5. ſent. §. fin. q. 67. n. 6.* Phil. Decius *in c. at ſi clerici, n. 5. de jud.* Maſcard. *de probat. concluſ. 462. n. 9.* Farinac. *de teſtibus q. 63. n. 237.*

8 Exponitur Conc. Treslei. can. 9. — Secundo adverſatur textus *in c. 9. Conc. Treslejani*, illis verbis: „ Apoſtolus Timotheo præcipit, in cujus perſona, ut „ Leo dicit, omnium Chriſti ſacerdotum numerum erudivit, „ ut accuſatio adverſus presbyterum non recipiatur, niſi ſub „ duobus, aut tribus teſtibus, & ſacrum Nicænum Concilium „ neophytum Epiſcopum duobus, vel tribus teſtibus redargutum a clero abſtinere præcipit. Sed quia in hiſtoria Suſannæ duo teſtes qui idonei videbantur, & in hiſtoria Naboth, „ & in hiſtoria paſſionis Domini duo teſtes dixiſſe falſum teſtimonium legimus, &c. De numero teſtium idoneorum auctoritatem legum ſequendam vidimus, ut ſeptem teſtes idonei requirantur: & ſi ratio vel cauſa cœgerit, quatuordecim, vel viginti & unus teſtes quæruntur, ut veritas patefacta monſtretur: „ Ex quibus verbis conſtat, probationem legitimam ex duobus vel tribus teſtibus non dari, ſed majorem numerum deſiderari, videlicet ſeptem. Igitur non recte aſſerimus, in qualibet cauſa duos, aut tres teſtes ſufficere. Pro cujus textus ſolutione dicendum eſt, plerumque ob dignitatem, & honorem perſonæ, ad ejus condemnationem majorem teſtium numerum deſiderari, quam in aliis cauſis adhiberetur, non tam ad probationem, quam ad ſolemnitatem: unde Clemens IV. centum teſtes adhiberi voluit in cauſa Epiſcopi Toloſani, ſimoniæ, & fratricidii accuſati, *in ep. 326.* refert Cironius *ad tit. de accuſat.* Unde licet ad probationem etiam contra ſeniorem, juxta Apoſtolum *1. ad Tim.* & *can. 75. Apoſt.* ſufficerent duo, aut tres teſtes; tamen ex ſequentibus Eccleſiæ conſtitutionibus major numerus præſcriptus fuit ad condemnationem Epiſcopi, vel clerici, ob honorem illis debitum.

C A P U T XXIV.

Alexander III. a *Firmano Epiſcopo*.

IN litteris, &c. *Et infra*: Quidam nobilis tui Epiſcopatus quamdam ſibi legitime copulans, cum eam in domo ſua fere per ſeptennium tenuiſſet, *b* conſobrinam patris ejus, antequam eam duceret, ſe aſſerit cognoviſſe, ad quod probandum teſtes de familia ſua tres produxit. Reſpondemus igitur, ut ſi res ita ſe habet, pro illorum teſtimonio ipſum ab uxore nulla ratione patiaris dividi, nec contra ipſos aliquos audias, niſi probatæ eſſent vitæ, & opinionis, de quibus veriſimile non eſſet, quod deberent pro aliquo dejerare.

N O T Æ.

1 a *Firmano.*) Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c. 4.* Firmum, ut aliqui putant, ſeu Firmana civitas vocata fuit, eo quod illuc a Romanis deducta colonia egregiam ſive pace, ſive bello auctoribus præſtitit fidelitatem, ut Franciſcus Pamphilus ait:

Stat vetus excelſo munitum vertice Firmum,
Urbem Romani quam coluere Patres.
Dicta quod hæc fuerit Romanorum colonia firma,
Et tenuit ſtabilem ſemper amica fidem.

Et Firmanam coloniam Romanorum inter alias referunt Livius *l. 27.* Plinius Junior *l. 6. in epiſt. ad Sabinum*. Sita eſt juxta mare Adriaticum, totiuſque Piceni Princeps eſt, ac caput totius Provinciæ, appellaturque Marcha Firmana. Poſt Romanorum Imperium Longobardis paruit, quorum excuſſo jugo, ſub ditione Eccleſiæ erat temporibus noſtri Alexandri III. Lucem hauſit Evangelii jam a ſecundo Eccleſiæ ſæculo, a quo tempore Epiſcopali Cathedra decorata fuit, ut plura de ipſius civitatis origine, & magnitudine congerens refert Ughellius *tom. ſecundo Italiæ ſacræ, fol. 742.* Ejus Præſuli Petro, qui Concilio Lateranenſi celebrato ſub Alexandro III. interfuit, miſſa eſt præſens epiſtola.

2 b *Conſobrinam.*) Propter affinitatem, quæ contrahitur ex parte viri cum cognatis ſtupratæ mulieris; ex parte mulieris cum cognatis ipſius viri, *c. neque eam 53. quæſtione ſecunda, c. 3. de ſponſal. c. 2. de conſanguin. & affin.* quod affinitatis impedimentum protrahebatur olim ad quartum uſque gradum, ut dicemus *in c. non debet, de conſanguin. & affin.*

C O M M E N T A R I U M.

3 Concluſio traditur, & probatur. — EX præſenti decretali illa vulgo deducitur diſputanda aſſertio; *Non ſunt legitimi teſtes, quos actor de familia ſua producit.* Probant eam textus *in c. 1. v. Vel etiam, c. item idonei, §. teſtes, c. fin. §. teſtium, 4. q. ſecunda, c. 1. & ſecundo, cap. ſimiliter, verſ. Vel affines, c. accuſatores, 3. quæſt. quinta, cap. abſens, §. nec affinis, 3. q. 9. cap. ſuper eo 22. hoc tit. cap. inſinuante, de offic. deleg. cap. forus, 9. fin. de V. S. leg. idonei 6. leg. teſtis 9. l. teſtes 14. ff. de teſt.* Paulus *libro 5. ſentent. tit. 15. §. 11. leg. 3. lege parentes, Cod. de teſtibus, lege pridem 6. Codice de quæſt. libro ſeptimo Capitul. cap. 133.* ibi: „ Non ſunt „ illi teſtes ſuſcipiendi, neque accuſatores, qui cum inimicis „ morantur, vel quos ipſi de domo produxerint. „ Illuſtrant ultra ordinarios, & congeſtos a Barboſa, & Garanna *hic*, Cujacius, & Miſyngerus, & Uranius *in præſenti*, Duarenus *ad tit. de teſt.* & *l. 1. diſput. c. 28.* Cujacius *ad Digeſta, in leg. 34. ff. hoc tit.* & *in leg. 1. Digeſt. qui teſtamenta*, Donellus *l. 23. comm. cap. tertio & quinto*, & *in leg. 3. Codice hoc tit.* Revardus *lib. ſecundo var. cap. 8.* Pithæus *in collat. legum Moſaic. tit. 9.* Fornerius *lib. tertio rer. quotid. c. 16.* Scipio Gentilis *in apologiam Apuleji, fol. 520.* Gilkenius *in leg. etiam, Codice de teſt.* Langleus *lib. tertio ſemeſtr. cap. ſecundo*, Oſualdus *lib. 25. Comm. Donelli, cap. 11.* Acacius Ripol. *de privil. parent. privil. 17.* Petrus Gregor. *lib. quinto part. tit. 11. cap. 4.* Balſam. *in can. 132. Synodi Carthag.* late P. Frag. *p. 1. de regim. Chriſt. Reip. l. 5. diſput. 13. num. 16.* Borellus *tom. 2. deciſ. tit. 15. ex num. 345.*

4 Adducitur dubitandi ratio. — Sed adverſus hanc aſſertionem ita pro dubitandi ratione inſurgi poteſt. Quoad probationem in judicio inſtrumenta, & teſtes æqualiter procedunt; unde ſicut nemo cogitur contra ſe rationes domeſticas edere, *l. inſtrumenta 5. C. de prob.* ita etiam nemo cogitur contra ſe teſtes domeſticos producere, *l. parentes 6. C. hoc tit.* ſed inſtrumenta domeſtica ex propriis laribus producta recte probant. Aul. Gellius *l. 14. noct. c. 2.* ubi inter ſpecies probationum ſolemnes, rationes quoque domeſticas enumerat, ibi: *Expenſi ratio, ideſt rationes domeſticæ; rationes menſæ, ideſt argentariorum; rationes chirographorum, tabulæ obſignatæ, & teſtes.* Igitur ſi inſtrumenta e domo producta fidem faciunt, & teſtes ſimiliter etiam domeſtici ad probationem ſufficiunt. Augetur primo hæc dubitandi ratio ex eo, nam quod propius domeſticum teſtimonium dici poteſt, quam patris, & filii; quia una perſona, una vox, una cauſa dicuntur: ſed pater in teſtamento a filio facto de bonis Caſtrenſibus adhiberi teſtis poteſt, *leg. qui teſtamento 2. §. per contrarium, ff. qui teſtamenta.* Igitur quia domeſticum teſtimonium in jure admittitur. Secundo fulcitur, nam parentes, fratres, & cognatos utriuſque ſexus in teſtes in cauſis matrimonialibus ſuorum, tam antiqua conſuetudine, quam legibus probatur admitti, *c. 3. qui matrimonium accuſare.* Sed in præſenti ſpecie agebatur de matrimonio dirimendo. Igitur teſtes etiam domeſtici idonei erant. Accedit tandem, nam copula, de qua agebatur in hac ſpecie, facilius probari valebat per domeſticos, quam per extraneos: ſed cum res facilius probatur per domeſticos, eorum teſtimonium admittitur, *l. conſenſu 8. §. ſervis, C. de repud.* Ergo ſaltem in præſenti ſpecie domeſtici teſtes idonei erant.

Qua

5 Domeſticus teſtis quis. — Qua difficultate ita fulcita minime obſtante, defendenda eſt præſens deciſio, pro cujus vera ratione capeſſenda ſciendum eſt, qui appellatione domeſticorum in præſenti veniant, ut a teſtimonio dicendo repellantur? Et quidem Paulus *l. 5. ſentent. tit. 15.* ita ait: „ Adverſus ſe invicem parentes & liberi, itemque liberti nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt, quia rei veræ teſtimonium neceſſitudo perſonarum „ plerumque corrumpit. “ Quæ verba etiam reperiuntur in fragmentis ipſius a Pitheo editis: ſed Cujac. *in ſcholiis ad ipſum Paulum*, hæc verba, *Itemque liberti*, delenda cenſet; tum quia ea non reperiuntur *in l. parentes, C. hoc tit.* ubi cetera leguntur: tum quia ſubjecta a Paulo ratio illis non convenit. Ait enim Paulus, ideo nec volentes invicem adverſus ſe audiri parentes, & liberos, quia plerumque ne plena ſit ejus teſtimonii fides, neceſſitudo efficiat, ideſt conjunctio ſanguinis: Sed juſte ab eo diſſentit Fornerius *l. 3. rerum quotid. c. 16.* qui retenta Pauli littera exiſtimat, Imperatores *in d. l. parentes*, conſultos tantum de parentibus, & liberis, non debuiſſe integram Pauli rationem referre; & probat rationem adjectam a Paulo convenire etiam libertis, cum neceſſitudo non ſolum ſanguinis conjunctionem, verum & vinculum affinitatis, amicitiæ, & officii comprehendat, *l. ult. ff. de juſtit. & jure*, Valerius Maximus *l. 2. c. 1.* ibi: „ Convivium ſolemne majores inſtituerunt, idque chariſtia appellaverunt, cui præter cognatos, „ & affines nemo interponebatur, ut ſi qua inter neceſſarias „ perſonas querela eſſet orta, apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. „ Aul. Gellius *l. 13. noctium, c. 3.* quare Ulpianus inter perſonas quæ neceſſitudine ductæ tutorem ſuſpectum poſtulare poſſunt, nutrices enumerat, *l. 1. §. penult. ff. de ſuſpect. tut.* imo & neceſſitudinis appellationem convenire libertis, patroniſque, probatur *ex l. 1. & 2. ff. de in jus vocand. l. capitalium 28. §. omnia, ff. de pœnis, l. hæc autem 5. §. 1. ff. quibus ex cauſis in poſſeſſ. l. magis puto 5. §. in primis, ff. de reb. eorum.* Non autem recenſuit Paulus *in d. tit. 15.* ſervos, quia ſervi regulariter pro domino, aut in dominum interrogari non poſſunt, niſi de facto ſuo interrogentur, veluti ſi quid per eum dominus commodaverit, aut depoſuerit, *l. interrogari, C. de q. l. ſervus, C. de teſt. l. fin. C. Theod. de fide teſtium, l. 6. & 7. ff. de teſt.* Paulus *d. l. 5. tit. 16.* teſtimonium autem dicere non valebant, ut apud Athenienſes cautum erat his verbis: *Servis teſtimonii dictio ne eſto.* Facit Terentius *in Palliata Apollod. fabul. act. 2. ſcen. 1.*

Servum hominem cauſam orare leges non ſinunt,
Nec teſtimonii dictio eſt.

Et Licinus Rufinus *l. 2. regul.* ait: *Idonei non videntur eſſe teſtes, quibus imperari poteſt, ut teſtes fiant.* Et *l. idonei 6. ff. de teſtibus.* Et Modeſtinus in lege ſequenti inquit: „ Sed ſervi reſponſo „ tunc credendum eſt, cum alia probatio ad eruendam veritatem non eſt. *Conſentit Paulus relatus in l. 7. ff. de probat.* in illis verbis: „ Cum probatio prioris fugæ deficit, ſervi „ quæſtioni credendum eſt; in ſe enim interrogari non pro „ domino, aut in dominum videtur. „ Sed Paulus ſibi ipſi oblocutus, & contrarius videtur, dum in eadem ſpecie conſultus *in l. quæro 58. §. 2. ff. de ædilit. edict.* ait: *Paulus reſpondit, ſi & alia indicia prioris non fugæ deficiunt, tunc etiam ſervi reſponſo credendum.* Et *in d. l. 7.* reſpondit, etiam ſine ullis fugæ indiciis ſervi quæſtioni credendum eſſe: at vero *in d. l. quæro*, juvari debere aliquibus indiciis reſponſionem ſervi affirmat. Antinomiam agnovit Samuel Petitus *ad jus Atticum l. 4. tit. 7.* & componendam duxit ſola interpunctione adjecta *in d. l. quæro;* affirmat enim, emptorem redhibitoria agentem debere probare ſervum ex veteri vitio fugiſſe, *l. 4. ff. de probat.* deficiente vero probatione, ſervi quæſtioni credendum eſſe, *ex d. l. 7.* Prædicta autem verba legis *quæro*, ita legit: „ Quæro an ſtandum ſit reſponſo ſervi? „ Paulus reſpondit: Si & alia indicia prioris non fugæ deficiunt, tunc „ etiam ſervi reſponſo credendum eſt. Ut ſenſus ſit, ſi ſint alia indicia prioris fugæ, quæ probationis contineant fidem, non eſt ſtandum reſponſo ſervi; at vero ſi alia indicia, ideſt probatio, deficiunt, tunc ſervi reſponſo credendum eſſe. Sed quis non videt, quantam violentiam inferat literæ ipſius textus Samuel Petitus? Rectius, ni fallor, Edmundus Merillus *l. 3. obſerv. c. 30.* obſervat, fortius eſſe teſtimonium ſervi, quod per quæſtionem in tormentis elicitur, quam quod ad ſimplicem interrogationem fit, cum quæſtiones ſervorum ad eruendam veritatem ab eis efficaciſſimæ ſint, *l. edictum 8. ff. de quæſt.* Unde ait, reſponſo ſervi ad quæſtionem in tormentis elicito, etiam fugæ indiciis deficientibus credi, *d. l. 7. ff. de probat.* reſponſo vero ſervi ad interrogationem ſine quæſtione dato non aliter fidem adhiberi, quam ſi prioris fugæ indicia adſint, *d. l. quæro*, quod etiam ipſe Merillus diligenter obſervat apud Paulum *l. 2. ſent. tit. 17.* unde tranſcripta eſt dicta lex 7. in qua vulgo legitur: *Servi reſponſioni credendum eſt.* In pandectis vero, *Servi quæſtioni.* Quam lectionem retinent auctores Baſilic. Sed conſulto Tribonianus verba mutavit, ut prædictam inter quæſtionem tormentorum, & ſimplex reſponſum ſervi, ſignaret differentiam.

6 Referuntur domeſtici teſtes. — Domeſtici ergo teſtes proprie ſunt, qui nobiſcum habitant, quibus imperare poſſumus, ut teſtificentur, ſive qui ſubſunt poteſtati, vel imperio ejus, qui domui præeſt, nam domeſtica furta vocantur, quæ ſervi dominis, vel liberti patronis, vel mercenarii iis, apud quos degunt, ſurripiunt, *l. perſpiciendum 11. §. furta, ff. de pœnis, l. ſi quis, C. qui accuſare:* de quibus domeſticis ait Apulejus *apolog. 1. Cupio enim produci eos pueros, quos ſpe libertatis audio confirmatos ad mentiendum.* Hi ſunt ſervi, coloni, filii conditionales, conjux, quæ de familia mariti dicitur, *l. quicumque, C. de re milit. l. 11.* & domeſtica, quia amborum una domus eſt, *l. 1. §. 15. ff. ad Syll.* Balſam. *in can. 132. Conc. Carthag.* Revardus *l. 2. var. c. 8.* Inquilinus vero non eſt domeſticus, licet in domo noſtra habitet, ſed non nobiſcum; nam mercenarius, cujus operas conduximus, non eſt domeſticus, niſi nobiſcum degat, *l. perſpiciendum 11. §. furta, ff. de pœnis*, Cujacius *in l. 3. C. de teſtibus.* Circa cognatos dubium eſt. Et Franc. Duarenus *in l. 24. ff. de teſtib.* exiſtimavit, eos domeſticos eſſe. Sed rectius negarunt Cujacius *in d. l. 3.* Revardus *d. c. 8.* qui reſolvunt, cognatos non eſſe domeſticos, nec a teſtimonio proferendo repelli, niſi nobiſcum habitent. Pro quorum ſententia faciunt Cicero *act. 3. in Verr.* ubi Verrem Malleoli tutorem ſic alloquitur: „ Cur „ ſodalis (erat hic Malleoli pater) uxorem, ſodalis ſocrum, „ domum denique totam ſodalis mortui contra te teſtimonium „ dicere; Cur prudentiſſimas, lectiſſimaſque feminas in tantum virorum conventum inſolitaſque, & invitas prodere cogis? *Svetonius* in Julio Cæſare, *in Publium Claudium*: Pompejæ uxoris ſuæ adulterum, atque eadem de cauſa pollutarum cæremoniarum reum, teſtis citatus negavit ſe quicquam „ comperiiſſe; quamvis & mater Aurelia, & ſoror Julia apud „ eoſdem judices omnia ex fide retuliſſent. „ Sed licet non quia domeſtici repellantur, tamen non facile ad teſtimonium pro cognato dicendum admittendi ſunt, tamquam illi, ad quos aliqua utilitas redit ex teſtimonio; nam ut Ovidius ait:

—— Cum ſint præmia falſi,
Teſtis ullam ratam debet habere fidem.

7 Traditur ratio dubitandi. — Quibus ita animadverſis ratio præſentis aſſertionis ex eo provenit, nam cum teſtimonia ab his præcipue ſint exigenda, quorum fides non vacillat, *leg. 1. & 2. ff. de teſtibus* nulluſque idoneus in re ſua teſtis credatur, *leg. nullus 10. ff. hoc tit.* nam ut Cyprianus ait *l. 5. ep.* ad Papiam: *Quiſque ſibi favet, nemo contra ſe maledicit;* imo Dominus noſter noluit ſibi in cauſa propria credi, *Joannis c. 31.* ibi: *Si ego teſtificor de me ipſo, teſtimonium meum non eſt idoneum;* ideo propter affectionem, & reverentiam, quam omnes domeſtici erga dominos, & res familiares habent, arcentur a teſtimonio in judicio dicendo: quare ſi utilitas negotii ad dominum non ſpectet, ſed eo procurante ad alium extraneum, recte ejus domeſtici teſtes adhibentur, ut probat Acacius Ripol. *de privil. parent. privil. 17. n. 14.* ubi ſubjungit aliquas exceptiones, & caſus, in quibus parentes pro liberis, & contra teſtimonium dicere poſſunt. Accedit alia ratio, ſuſpicionis videlicet in filiis, & libertis, quibus verendum eſt, ne ſi adverſus patrem, vel dominum teſtificentur, e domo ejiciantur, maleve tractentur, Donellus *in l. 3. num. 14. Cod. hoc tit.* unde ſubditi cujuſque potentis, vel nobilis viri, in ejus cauſis teſtes produci nequeunt, *ex l. [illegible], v. Potentativi, C. hoc tit.* Si autem ipſi domeſtici e domo jam ejecti ſint, ita ut productionis tempore domeſtici non reperiantur idonei, teſtes ſunt, *l. 1. §. 12. ff. de quæſt.* quia in teſtibus attenditur ſtatus præſens, *l. 3. §. duæ cauſæ, ff. de Carbon. edicto:* facit lex *qui bona, §. ſi quis ſtipulaturus, ff. de damno infecto*, niſi data opera quis ut eorum teſtimonio uteretur, e domo ejecit, *dicta leg. 1. §. 13.* Miſyngerus *in præſenti*, & Uranius *num. 10.* Etiam domeſtici idonei teſtes ſunt in factis, & delictis domi patratis nocte, aut in illis, in quibus magis informati ſunt, quam extranei. Farinacius *de teſt. qq. 55. n. 38.* vel cum domeſtici ſunt Abbatum, Prælatorum, aut Nobilium, quia perſonæ hæ ſunt laudabilis, & honeſtæ vitæ, ut probat Marinis *deciſ. 385.*

8 Reſpondetur difficultatibus — Nec obſtat difficultas ſupra adducta, deprompta ex Auli Gellij auctoritate; nam potius certum eſt, inſtrumenta privata, & domeſtica, ſola & per ſe non ſufficere ad plenam probationem, *lib. 5. lib. 7. C. de prob. l. ult. C. de conveniend. fiſci debit.* quod adeo verum eſt, ut nec fiſci quidem inſtrumenta pro ſe fidem faciant, *d. l. 7.* quia ut teſtis, ita nec ſcriptor quis in ſua cauſa eſſe poteſt, *lib. 2. C. hoc tit.* Rationes autem domeſticæ olim fidem faciebant, quia diligentiſſime ſuarum rerum, ac bonorum tabulas domeſticas cives Romani conficere ſolebant accepti, & expenſi; ſed cum diligentia, ſeu cura negligeretur ſub Imperatoribus, ut ait Aſconius *3. in Verrem*, etiam fides illis denegata fuit, niſi contra ipſos dominos, *l. non eſt novum, C. de edendo.* Unde Aul. Gellius referendus eſt ad jus obſervatum ante Imperatorum conſtitutiones, ut docet Gilkenius *in d. l. 5.* Nec obſtat augmentum difficultatis deductum *ex d. l. qui teſtamento; §. per contrarium:* pro cujus ſolutione diſcrimen eſt conſtituendum inter eum caſum, in quo filius teſtamentum condit de peculio caſtrenſi jure communi, & cum teſtatur jure militari: primo caſu pater teſtis adhiberi non valet, *§. in teſtib. Inſtit. de teſtam.* ſecundo vero recte ut teſtis adhibetur, quia tunc filius pro patre habetur; & cum jure militari teſtamentum faciat, juris civilis ſolemnitatibus non adſtringitur, imo quocumque modo voluntas probetur, ſuſtinetur diſpoſitio: docent poſt Inſtitutarios *in d. §. in teſt.* Acacius Ripol. *d. privil. 17. n. 13.* Nec obſtat ſecundum augmentum difficultatis; nam textus *in d. c. videtur, qui matrimonia*, procedit quando agitur de matrimonio contrahendo, aut diſſolvendo ratione conſanguinitatis, in qua cauſa admittitur patris, matris, vel propinquorum teſtimonium; quia nullus eſt qui melius illis ſcire poſſit gradus conſanguinitatis, ut jam probavi *in c. 5. hoc tit.* ſi vero agatur de ipſo contractu matrimonii diſſolvendo ex alio capite, ut impotentiæ, aut quia conjux conjugis conſanguineam cognoverat, tunc parentes ut teſtes non admittuntur, niſi ſint valde honeſti, & idonei, ut in præſenti decidit Alex. III. Nec tandem obſtat ultimum augmentum deductum *ex d. l. conſenſum, §. ſervi;*